



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad  
Dominicam Septuagesimæ

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Dominica Quarta Adventus, & tota sequenti hebdomada: De præparatione  
ad gratias Nascentis Christi Domini recipiendas. Iuxta illud Evangelii,  
Parate viam Domini. Ista præparatio fit per virtutes & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44194**



# DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

DE PRÆPARATIONE AD GRATIAS  
NASCENTIS CHRISTI DOMINI RECIPIENDAS.

*Vox clamantis in deserto, parate viam Domini,  
rectas facite semitas eius. Luc. 3.*

ISTA præparatio non videtur fieri posse commodius, quàm per Virtutes septem, toridemque Veritates oppositas septem vitis capitalibus, quæ maxime se opponunt illis Gratiis recipiendis. Illæ autem Virtutes & Veritates facile observari possunt in Evangelio, seu in Mysteriis quæ ab Annunciato & Incarnato Verbo supersunt consideranda, usque ad ipsam Nativitatem. Quo tamen die Vigilia Nativitatis Domini contigerit, tunc Meditatio propria quæ infra habetur die Sabbati, omissis aliis assumi poterit.

HODIE de Temperantia, quæ opponitur vitio gulæ seu vitæ laxiori, ab exemplo S. Joannis Baptistæ commorantis in deserto, & in clamantis ut paremus viam Domini, prout legitur in Evangelio hodierno.

## VERITAS PRACTICA.

Sibi, non Domino vivit, qui temperatè non vivit.

*RATIO EST, Quia qui seipsum in victu & vestitu non Dominum quarit, sibi non Domino vivit.*

*Sed qui temperatè non vivit, seipsum quarit in victu, non Dominum.*

*Ergo si sibi non Domino vivit. Unde & illud infertur quod quantum necesse est non sibi sed Domino vivere, tantum necesse est vivere temperatè.*

## I. PUNCTUM.

**V**ITA illa austerior quam agebat sanctus Præcursor Domini in deserto, factis indicat quàm esset temperans, & quanto petere nobis Temperantiã commendaret, ad præparandam viam Domini. Quàm verò huic præparatoni sit opportuna Temperantia, perpède ex opposito vitio, quod non minus pugnat cum Gratia nascituri Domini, quàm caro repugnet spiritui. Hoc est videlicet primum quod Apostolus illi attribuit Gratiæ *Qua apparuit omnibus hominibus ut sobriis, seu temperanter tum justè & piè vivamus in hoc saculo.* Tit. 2.

Quanti autem universim referat sobriè & temperate vivere vel ex eo agnosce, quod quàm necesse est non sibi sed Domino vivere, tam sit necesse vivere temperate. *Sibi enim non Domino vivit, qui temperate non vivit.* Quæ quam sit certa Veritas, sic demonstrat allata Ratio.

Qui seipsum in victu potius quàm Dominum quarit, sibi non Domino vivit. Quid clarius? Quid est enim sibi vel Domino vivere, quam se vel Dominum in vita quarere? Quomodo autem quis dicetur quarere in vita Dominum, qui in victu quem assumit pro vita tuenda, non Dominum sed seipsum quarit? Nonne ipse victus ipsa est vita? Nonne pro eodem utrumque sumit Apostolus, quando sic dis-



Rom. 14. *Discereit, Qui manducat, Domino manducati; Nemo enim nostrum sibi vivit & nemo sibi moritur. Quanam esset hæc Apostoli ratiocinatio nisi tam clarum esset, manducare & vivere, unum & idem esse, ut ex uno concessio, aliud inferatur? O quanta est cautio, adhibenda in victu, in quo exploratur, num quis sibi vivat, an Domino? Et quam recte Sapiens: Omnis labor hominis in ore ejus!*

Ecc. 6.

## II. PUNCTUM.

**S**ED qui temperatè non vivit, seipsum quarit in victu, non Dominum.

Quid hæc etiam propositione evidenti-  
tius? Quis non videt temperatè non vivere,  
nihil aliud esse quam peccare contra tempe-  
rantiam, vel excedendo in victu & potus; vel  
in cibo qui sumitur, delectationem suam qua-  
rendo: vel quocunque tandem alio peccet-  
tur modo? At verò sic peccare nonne est se-  
ipsam querere? nonne vel ideo peccat  
qui sic peccat, quia seipsum quarit? *Hujus-  
modi enim Christo Domino non serviunt, sed suo  
ventri, inquit Apostolus.*

V.S. Greg.  
30. Mor.  
27.

Rom. 16.

Et licet asserant non aliter se commodius  
vivere velle, quam ut facilius Christo servi-  
ant. Itane Christus vitio colitur? Nonne ip-  
se toties contra? *Va vobis qui saturati estis,  
quia esurietis. Ideo dico vobis ne sitis solliciti a-  
nima vestra, quid manducetis. Nonne anima  
plus est quam esca? Stulte hæc nocte animam  
tuam repetunt à te; quæ autem parastis cuius e-  
runt? Quis vero ille stultus nisi qui secum di-  
cebat, Requiesce, comede, bibe, epulare? Deni-  
que quam tremenda illa, Attendite autem vo-  
bis ne forte graventur corda vestra in crapula &  
ebrietate, & curu hujus vite, & superveniat in  
vos dies illa repentina: tanquam laqueus enim  
superveniet. Itane verò post hæc, Intemperans  
dicet se Christum in victu querere? Quaritia  
me, quia manducasti ex panibus, & saturati es-  
tu. Operamini non cibum qui perit, sed qui per-  
manet in vitam æternam.*

Luc. 4.

Matth. 6.

Luc. 12.

Ibid. 21.

Joan. 6.

## III. PUNCTUM.

**S**IBI ergo non Domino vivit, qui tempera-  
tè non vivit; Quia seipsum in victu querit,  
non Dominum: quod plane unum ac idem  
est quod sibi non Domino vivere. *Hi sunt in  
epula sui macula, inquit sanctus Judas, convi-  
vantes sine timore, semetipsos pascentes: Id est, se  
propter se nutriendos & vivendos. Hinc illud  
flebile & luctuosum Apostoli: Multi ambulanti,  
quos saepe dicebam vobis, nunc autem & flens di-  
co, inimicos Crucis Christi, quorum Finis interi-  
tus, quorum Deus venter est. Perpende hæc po-  
strema verba, nempe qui finis est noscer, noscer  
est Deus, ac proinde cum intemperans sibi &  
ventri vivat, se suumque ventrem pro fine ha-  
bet, & consequenter pro Deo. O perniciosissi-  
mam intemperantiam, cujus pernicies tam latè  
patet quam latè patens est vita, & quam peri-  
ciosum est aliter vivere, quam Deo vivere!*

Phil. 3.

Sic in hoc vitium generatim exardescit ut  
particulatim ad veritas, quale sit tuum, in quo  
excedas aut deficias. Neque hic necessitatem  
excuses, cum non sit tam necessarium vivere,  
quam temperatè vivere; Neque enim tam ne-  
cesse est ut vivas vita naturali, quam ne viven-  
do vivas tibi, sed Domino. In hoc enim natus  
est Dominus, & in hoc mortuus, *Ut qui vivunt  
jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis est natus,  
est mortuus & resurrexit. Denique S. Augusti-  
nus sic apte concludit; Habet vir temperans, in  
rebus hujus vite, regulam utroque testamento  
firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se ap-  
petendum putet, sed ad vitam hujus atque officio-  
rum necessitatem, quantum sibi est usus per: V-  
sentu modestia, non amantia affectu.*

2. Cor. 5.

L. de mo-  
rib. Eccl.

c. 21.

Vide in Indicibus Verbo Abstinencia. So-  
brietas. Temperantia, Gula.

H

IN



IN EADEM DOMINICA.  
 QVARTA ADVENTVS.

AD HÆC EVANGELII VERBA DE S. JOANNE.

*Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismũ  
 Pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Luc. 3.*

ALIA VERITAS PRACTICA.

Licet omni peccatori sit necessariò pœnitentiam: vix tamen ullus est qui necessariam agat Pœnitentiam.

**RATIO EST,** *Quia necessariam non agit pœnitentiam, qui non retrahit animum à rebus quæ sunt causa peccati.*

*Sed vix ullus est qui sic animum à rebus retrahat.*

*Ergo & vix ullus est qui necessariam agat pœnitentiam. Quod quàm sit exparvoscendum, jam facile est conficere.*

I. PUNCTUM.

**T**OTA veritas, ejusdemque declaratio sic expressa refertur à Propheta Jeremia: *Hæc dicit Dominus, Num quis est qui cecidit non resurgat? & qui a vertice est non revertetur? quare ergo a vertice est populus iste in Ierusalem a visionis contentiosa? apprehenderunt mendacium & noluerunt reverti. Attendit, & auscultavit, nemo quod bonum est loquitur. NULLUS EST QUI AGAT PœNITENTIAM SUPER PECCATO SVO DICENS, QUID FECI? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. Quasi diceret: omnes in eodem animi statu & affectu permanent, nullus retrahit animum à peccato, seu à rebus quarum affectu peccatur, quamdiu autem peccator non retrahet animum ab illis objectis quæ sunt causa peccati, non agit necessariam pœnitentiam.*

**HOC** itaque primum est in quo fundatur Veritas, & primo declarandum, quod congruam & necessariam non agit pœnitentiam qui non retrahit animum sive affectum inordina-

tum ab illis rebus quæ inordinatè & cum peccato diliguntur. Sic autem declaratur. Nam necessarium imprimis ad pœnitentiam illud ducitur sine quo nulla est pœnitentia, & quoposito, potest esse, licet alia de sint omnia. Talis est autem illa quam dicimus animi retractio seu revocatio ab objectis peccati: ipsa est enim, ut vocamus, essentialis pœnitentia, ipse est dolor de peccato, sive ex Contritione fiat, sive ex Attritione cum Sacramento, nihil hic ad rem nostram refert, uter ex duobus dolor existat, dum modo sit verus dolor qui tam necessarius est & tam intrinsecus pœnitentiæ, remittendis que peccatis, ut si verus non esset dolor, non esset vera pœnitentia. Sic enim absolutè Tridentinum pronuntiat. *Quo vi tempore, hunc dolorem ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessarium. Necessaria etiam est Confessio & Satisfactio, sed non ita semper & absolutè, quin si per aliquam deesse impotentiam, quæ in variis casibus potest contingere, possent ipsa contritione suppleri, sicque peccator solum Contritus, & non confessus ex impotentia confitendi, veniam peccatorum obtineret. Non ita verò dici potest de defectu doloris, nam quantumcumque confessus sis, quantumcumque elemosinas & jejunia in satisfactionem feceris nulla erit peccati venia nisi sit de peccatis dolor, qui tam necessarius est ad illam obtinendam veniam, ut re nulla proflus alia suppleri possit. Ad quam respiciam nisi ad pauperes vestros & contritum spiritum, & tamen extem per monis meos?*

**QUOD** verò verus non sit dolor nisi retrahatur animum à re inordinate amata, vel ex eo manifestè patet quod non sit verus dolor nisi sit animus verè conversus, nec ulla unquam vera peccatoris intelligitur esse pœnitentia, nisi sit talis conversio à peccato qualis esset Pa-

Sess. 14. c. 4.

1566.

ganà

157, 8.



gani ab infidelitate, aut Hæretici ab hæresi sua. Quid est porro converti Paganum aut Hæreticum? nonne est animum ita retrahere ab idolis & quibuslibet infidelitatis aut hæreticæ pravitatis indicis & notis, ut nulla prorsus eorum æstimatio & affectio residet in animo, sed potius detestatio & execratio? Sic plane de peccatis, & de rebus inordinatè d'lectis quæ velut Idola coluntur, & velut idola projicienda sunt: aut certe si res retinentur, temperandus earum affectus: aut nulla plane conversio, nullusve peccati dolor circa res tales admissus. *Abijste Deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini.* EPHRAÏM quid tibi ulera idola? Quamdiu enim est inordinata cordis affectio, tamdiu est peccatum: quamdiu autem est peccatum in corde, non est contritio cordis, non est dolor, non est conversio peccatoris. *Securis ad radicem ponenda, faciendâ est arbor bona, & bonus ejus fructus.* POENITENTIAM certam, inquit sanctus Augustinus, non facit nisi odium peccati, & amor Dei, quando sic pœnites ut tibi amarum sapiat quod antè dulce fuit. Hoc est, auferre esse videri sua à facie Domini. Hoc est, circumcidi Domino, & auferre præputia cordis sui. Hoc est novare sibi novale; ut quemadmodum aratro gleba terræ ab ipsis fibris stirpitis evellitur, sic animus à peccati radice quæ in re amata sistit, se convertat. Hoc est quod Græci *παραίεσις* dicunt, id est transimentationem seu mentis inversionem. cum scilicet mens per peccatum rei cûpiam adhærebat, & ab ea per dolorem & conversionem in contrarium retrahitur. Numquam fuisse ipsa pecunia pro qua misisti eum: Dicebat Tobia Conjugi de filio dolens mater. Sic dicendum de re omni esset, pro qua Christum à nobis dimisimus.

II. PUNCTUM.

**S**ED vix ullus est qui sic animum à rebus retrahat. *OMNES conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium; Quod duobus modis intelligi potest, primò ut conversi quidem fuerint dum de peccato doluerunt, sed reversi sunt postea, perinde ac si non doluissent. Quod sic Isaias exprimebat: Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum. Venite; sumamus vinum & impleamur ebrietas. Et erit sicut hodie, sic & eras, & multo amplius.*

Secundò, ut ne quidem pœnitentes & confitentes verè doluerint, nec sese converterint: sicque nulla prorsus fuerit eorum pœnitentia. *Non in veritate, non in toto corde, sed in mendacio, ut ait Scriptura, id est fide & simulate; non quod vellent expresse fingere & simulare se reverti, sed quod vel ignorent, ignorantia: amen inexcusabili, quid sit verè converti, vel quod id sibi putent impossibile, vel quod verius est, nolint omnino sic animum, à pecunia, ab honore, & aliis delectabilibus avocare: Quocumque tandem modo id fiat, satis superque patet, quàm pauci, & quàm vix ulli sint qui minus afficiantur rebus suis, postquam confessi sunt, quàm si omnino non fuissent confessi: unde nec confitendo forsitan cogitabant de animo sic retrahendo; sed dum confiterentur, & dicerent se dolere, satis id sibi esse persuadebant. Quæ de re infra fultus, hebdomada tertia post Epiphaniam.*

Apertè vero de his dicas quod sanctus Gregorius ait de multis, *Qui Prophetia spiritum accipiunt, sed tamen ad factitatu meritum non attingunt: sicut irrationale animal, nempe asina Balaam, rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem natura rationali accessit: ita plane hi, dum peccata confitentur, conversionis & pœnitentiæ verba edunt, sed dum verba tantum edunt, & animum non convertunt, remanent peccatores & impœnitentes. In valle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.*

III. PUNCTUM.

**L**ICET ergo sit omni peccatori necessario pœnitendum, vix tamen ullus est qui necessariam agat pœnitentiam. Quia vix ullus est qui verè retrahat animum à peccato, seu à re peccati, à re cui est annexum peccatum, non ex rei malitia, sed ex inordinatione affectus circa illam; quæ inordinatio quamdiu perdurat in animo, non potest esse verus dolor de peccato, nec proinde potest esse vera pœnitentia. *Non egerunt pœnitentiam; ut darent gloriam Deo; Non id spectaverunt, & quando spectassent, non erat gloria quam Deus quærebat, ut enarrarent tantum sua peccata, sed ut relinquerent; unde quidquid dixerint aut fecerint, nisi peccata sua deposuerint, non agent pœnitentiam Deo gloriosam & sibi utilem ac necessariam.* Quod quidem ita frequens est, ita commu-

H a a e

Gen. 35.  
Osee 14.

Matth. 12.

Serm. 7. de  
temp.  
1st. 4.

La. 1. 6.  
inf. c. 24.

Tob. 5.

1st. 3.

L. 27. Mo.  
ral. c. 1.

1st. 1.

Apo. 16.



L. 2. de pe-  
nit c. 10.

ne omnibus & universale malum, ut sanctus Ambrosius affirmet, se facilius invenisse qui innocentiam servaverint, quam qui congruè egerint poenitentiam. POENITEMINI igitur, ait sanctus Petrus, & convertimini ut deleantur peccata vestra. Vide & doce ut interponit me-

dium, convertimini, inter poenitentiam & delectionem peccatorum, quia converti hoc est poenitere quomodo necessarium est poenitere, ut deleantur peccata; quod & finiendo sermonem suum sic confirmat; Convertat se unusquisque à nequitia sua.

AA 3.

ibid.

IN EADEM DOMINICA  
AD HÆC EVANGELII VERBA:

*Erunt prava in directa, & aspera in vias  
planas. Luc. 1.*

MULTÆ veritates aliunde huc derivari possunt quæ contra excusationes difficultatum proponuntur, ut videre est in Indice verbo difficultas. Hic autem nonnullæ aliæ indicantur, quas unicuique erit facile fusius declarare.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Sic facta sunt aspera in vias planas, ut tam jucunde per aspera, quam per plana vivamus.

RATIO EST, Quia tam jucunde per aspera quam per plana vivimus si rerum asperitas sublata est, aut si facta est amabilis & voluntaria.

SIC enim sublata spectari debet asperitas, quando amatur, quando voluntariè & libenter accipitur. Nam hoc unum in rebus est asperum, quod eis repugnet animum: unde voluntariæ poenæ non eam habent asperitatem, quæ sentitur in involuntariis.

SED Christus nobis reddidit asperitates amabiles. Sua videlicet abundantè gratia, sua nobis infusa charitate, suo exemplo, suis beneficiis, suis promissis, suis promeritis, & sexcentis aliis motivis, quibus in omni pressura letamur. Et gloriamur propter eum qui diligit nos. Et sicut abundantè passiones Christi in nobis: Ita & per Christum abundat consolatio nostra.

Rom, 8.

2. Cor. 1.

Math, 13.

SIC itaque facta sunt aspera in vias planas:

non ut omnino sublata sint, sed ut per illa tam libenter & jucunde vivamus, quam per plana. Sic jugum tempè remanet tollendum super nos, sed cum esset grave, sic factum est per Christum, suave & onus leve, ut nemo sit lætior & securior quam sub illo jugo. Quod sanctus Augustinus in se admirans, Vbi erat, inquit, tam annofo tempore, & de quo imo, aliquo secreto avocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem cervicem levi jugo tuo & humeros levi sarcina tua? Christe Iesu, adiutor meus, & redemptor meus, quàm suave mihi subito factum est carere suavitatibus vulgarum, & quas amittere meo fuerat, iam dimittere, & audium erat. Eiciebas enim eas à me, vera tu & summa suavitas: eiciebas & intrabas pro eu, omni voluptate dulcior, sed non carnalis & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curia mordacibus ambiendi & acquirendi, & voluntandi at quo scilicet scabiem libidinum. Et ibidem, libro sequenti. Mansuefacisti jugo tuo cervicem meam, & nunc porto illud, & leve est mihi, quoniam sic promissisti & fecisti. Et verè sic erat & nesciebam, quando id subire metuebam.

L. 9. Con-  
fess. c. 1.

ibid l. 10.  
c 36.

De his passim in sequentibus & præcipuè in quarta parte, Hebdomada 22. post Pentecosten. Vide etiam in libris de ordine, prima parte, discursu 22. sectione 5.

ALIA



## ALIA CONSEQVENS VERITAS.

Majus est Christi beneficium, amaritudines reliquisse nobis amabiles, quam nullas nobis reliquisse.

**RATIO EST,** Quia talem dare materiam sine occasione promerendi in qua sine magna labore multum acquiras meriti, multum divina gratia, tibi facillime comparare possis & gloria, majus est beneficium, quam si omnino soleres illam promerendi occasionem.

**Q**UIS enim non videat quod quando adjungitur minimo labori maximum præmium, in summis id beneficiis sit reponendum? Nim licet perfectus & gloriosius videatur esse, si graviora pro Christo pertuleris, quam si leviora sis passus; quia tamen in gravioribus vel sæpe deficiamus, vel propter impatientiam, de merito multum detrahimus; certe id beneficium & gratiosum censeri debet, si licet temperentur poenæ, ut & facillime tolerentur, & nihil tamen propter temperamentum decedat de merito, imo & augeatur amplius & uberius. Nonne propterea Sapiens gratulandus clamabat? *Videte oculi vestri, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.*

Eccles. 31.

SED quando Christus reliquit nobis amabiles amaritudines, reliquit nobis materiam si-

ne occasionem promerendi, in qua sine magno labore multum nobis meriti proveniret, imo & quod minor esset labor, eò majus esset promeritum.

Nam cum diminutio illa laboris non procedat ab objecto leviori, sed ex affectu vehementiori Charitatis, atque ex voluntate magis libera & propensa; quam facit nobis amor Christi: tam foelix & beata est illa laboris diminutio, ut meritum ex æquo crescat & augeatur, & decrescit & minuitur labor. Ex una nempe ac eadem radice Charitatis proveniunt, & diminutio laboris & augmentum meriti; quod enim est major charitas, eò minus laboratur, & major est laboris fructus. Hi sunt novissimi primi qui in una hora tantum merentur & referunt lucri, quantum qui portaverunt pondus diei & æstus: O vere bonus Dominus qui sic nobiscum agit! O vere nos maligni & ingrati si difficultates querimus aut excusamus! Nimis enim aperte patet: *Majus esse Christi beneficium, amaritudines reliquisse nobis amabiles quam nullas reliquisse. Hæc est gratia si propter Dei conscientiam sustinetis quæ irascitis. Si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia*

Matth. 24.

1. Petr. 2.

apud Deum. Vide Verbo difficultas. Amor. Christus.

## ALIA VERITAS PRACTICA.

Aur non amatur Christus, aur amatur asperitas.

**RATIO EST,** Quia non amatur Christus si quod est certius amoru signum illi denegetur.

**E**ST enim probandus Illi noster amor, licet probe norit quid sit intus in corde nostro, ne tamen ipsi nos decipiamus, amorem fictitium pro vero & germano capientes, vult à nobis certa dari signa, quibus ipse permotus dicat, *Nunc cognovi quod timeatis & diligatis Deum.*

Gen. 22.

**SED** certius amoru signum est asperitatis amor. Vel quando conjuncta est muneri obeundo, vel cuius necessitati subeundæ, fornax est in qua probetur amor, velut aurum & argentum in confatorio.

Eccles. 26.

*Aur Ergo non amatur Christus, quod est Christiano nimis pudendum, aut amatur asperitas, quæ est amoris certior nota.*

Videnda in secunda parte, Dominica infra Octavas Ascensionis.

H 3

SIC



## SIC ALITER ETIAM PRÆCEDENS, AVT ALIA CONFORMIS VERITAS FORMARI POSSET.

Cui nimis adhuc durum videtur pati pro Christo, nimis etiam  
durum videtur amare Christum.

**RATIO EST,** Quasi amare Christum nihil  
est aliud quam pro Christo pati; Cui nimis  
durum videtur pro eo pati, nimis etiam du-  
rum videri necesse est Eum amare.

Sed Amare Christum nihil est aliud quam pro eo  
effectivè pati, vel effectivè, ut vocant, &  
dispositivè.

Ergo cui nimis adhuc durum videtur pati pro  
Christo, nimis etiam durum videtur amare  
Christum.

**I**N quo discursu solum est probandum,  
quod amare Christum & pro ipso pati, sunt  
unum & idem; Quod facile est hoc sensu  
demonstrare, quod non aperte, non cer-  
te, non perfectè, nec debitè Christus ametur  
à quoquam, nisi qui paratus sit pro ipso pati;  
Qualis enim Christi amator ille esset qui dice-  
ret: Amo quidem ita Jesum, ut bene de illo  
sentiam, & dicam apud omnes, bene etiam illi  
ab omnibus velim, neque debitos umquam  
honores Eì denegem, aut quidquam aliud: ni-  
si cum forè me velit pati; hoc enim ego no-  
lo. Itane quisquam posset loqui, & sibi de a-  
more Christi blandiri? Perinde autem est, sive  
id loquatur, sive id actu & re ipsa nolit pati,  
quando præsertim tam necesse est pati, ut nisi  
pariatur, peccet.

2. Cor. 13.

Tunc enim tria concurrunt quæ cum actua-  
li Charitate quæ patiens est, quæ omnia suf-  
fert & sustinet, valde repugnant. Primum est  
quod se suaque negat Christo petenti. Quid  
Charitati magis oppositum? Quid amori di-  
vino insensius? Secundum est quod se tamen  
eius amicum profitetur, dignumque credit  
Christum qui laudetur quidem & honoretur  
ab omnibus; sed non ita dignum & bene meri-  
tum, ut sit propterea pro ipso patiendum;

Quod certe iudicium non potest non illi esse  
injurious. Tertium denique est, quod actu  
& re ipsa Christum offendit per impatientiam,  
per murmura, per improperia, per quidquid  
animus contradicens & repugnans divinæ Vo-  
luntati potest cogitare, loqui & agere.

Et tu sic amari Christum dices? Itane nos  
dilexit Christus? Itane suam nobis dilectio-  
nem protulit? Itane nostram excitat, & suis  
meritis promovet? Ideone frater noster effe-  
ctus, & sponsus animarum, ut sic à nobis dili-  
geretur? Nihil ne ultra tot labores exhausti,  
tot sanguinis effusæ guttæ, tot gratiarum pro-  
fusa dona, tot plagarum tolerata supplicia; ni-  
hil aliud promerentur, quam ne quid omnino  
vicissim patiaris? quorsum tot scripturæ op-  
positæ? quorsum tot comminationes & pro-  
missa? quorsum in eam rem tot sanctorum ex-  
empla, tot doctorum dicta, tot rationum mo-  
menta? *Nondum incepit esse Christianus,* ait  
S. Hieronimus, *Qui nescit aut qui nolit pro*  
*Christo pati, Et ubi illud Apostoli, quoniam per*  
*multas tribulationes oportet nos intrare in re-*  
*gnum Dei? Et omnes qui pie volunt vivere in*  
*Christo Iesu persecutionem patientur.*

Act. 14.  
2. Tim. 3.

Sed quod nolenti durum videtur, hoc vo-  
lenti suave est, hoc amenti facile: Nec amare  
putandum est esse aliud quam sic libenter velle  
pro amato pati.

Vide Divum Bernardum sermone 43. in  
Cantica, & alibi passim.



EODEM



E O D E M D I E,  
A D H Æ C V E R B A,

In propria venit, & sui eum non receperunt.

Ioan. I.

VERITAS PRACTICA.

Non minus modò, quam olim, Christus in propria venit, nec sui magis eum receperunt.

RATIO præsupponit tamquam certum ex fide, primam veritatis partem, cum ille ipse qui nasci voluit de Virgine, panis involui, & in præsepio collocari, ex certa fide credatur esse in sanctissimo Sacramento, sub speciebus panis, & per communionem venire in Christianos, qui propterea adhuc magis propriè & præcipuè videntur esse Christi Domini, Sed quomodo sui eum non recipiant, cum per istos maxime intelligamus Communicantes, magis obscurum videtur. Sic declaratur.

NON recipiunt Christum, quo sensu dicitur à suo non receptus, qui non ita recipiunt doctrinam, quam in præsepi docet, ut se illi conforment per Gratiam, qua hi propterea confertur diebus.

Sed qui magis propriè Christi sunt, nempe Communicantes, non ita recipiunt doctrinam Christi, ut se illi conforment.

Ergo qui Christi magis propriè sunt, Christum non recipiunt. Ergo non minus modò quam olim Christus in propria venit, nec sui magis eum recipiunt. Quod cum sit valde damnosum, idcirco ante ipsa Christi Jesu Natalitia, perutile foret præcavere.

P U N C T U M.

QUOCUMQUE loci venisset Christus, venisset certe in propria, cum esset Dominus cœli & terræ. Quando tamen venit in Judæam, quando in civitate Nazareth est conceptus, atque atque in oppido Bethleem natus, tunc singulari modo dicitur venisse in propria, quia

pars illa terra singulari præ cæteris modo, pars erat propria Christi, propria populi quem sibi ex omnibus prælegit. & eorum propria, unde carnem sumere voluit. Ideoque Pilatus illi dixit, Gens tua & pontifices traderunt te mihi.

Quando vero dicitur, Et sui eum non receperunt, non agitur de receptione corporali, non agitur de repulsa quam passus est in Bethleem, cum ibi non esset locus in diversorio, non de fuga in Ægyptum, non de ejectione à Nazareth, post primam illic habitam concionem, non de negato introitu in Samariam, non postremò de quavis conspiratione Jerosolymis, contra ipsum inita: sed de infidelitate eorum qui quod docebat, non receperunt, non crediderunt, non approbarunt, ac contra potius obstituerunt. Unde in consequenti textu eum dicitur, Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, Id est, quotquot ei crediderunt fide perfecta, seque eius obsequio dediderunt. Quo in sensu dicebat sanctus Joannes in epistolis: Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Christi, Datum non habet, Quasi diceret, licet quis Christum reciperet hospitio, nisi tamen Christo crederet, & profiteretur quod docuit, non illum recipere dendus esset, quo propriè modo à vobis vult recipi.

Sic sanctus Augustinus dicebat de Beatissima Virgine, Quod beator fuisse, percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi; Nec mater in propinquitas illi profuisset, nisi factus Christus corde quam carne gestasset. Idemque explicans verba Christi: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Si hoc putaverimus, inquit, esse Christo ministrare, ea que sunt corpori necessaria præparare, fecerunt hoc illi qui potuerunt et in corpore habere præsentem, sicut Martha, & Maria; sed eo modo, Christo

2. IOAN. I.

L. de sancta Virgine. c. 2.

IOAN. IZ.

etiam



etiam Iudas perditus ministravit. Et post pauca. *Ve quid ergo alibi quarimus quid sit ministrare Christo, & non possit in istis ipsis verbis agnoscerimus? cum enim dixit si quis mihi ministrat, me sequatur, hoc intelligi voluit, ac si diceret: si quis me non sequitur, non mihi ministrat.*

EX quibus sic declaratis, patet evidenter quod habet prima propositio, iam illos non recipere Christum nascentem, qui non ita recipiunt doctrinam illam quam in præsepi nascens professus est, ut se illi totos conforment; Non quod non recipiant per sacram Communionem verum Christi corpus, quod & peccatores quoque communicantes recipiunt, sed quod ipsum recipiendo, non recipiant Gratiā hanc singularem, quæ his particulatim diebus conceditur, ad proficendam illam Christi doctrinam: vel si receperint talem gratiam, non magis illi collaborent, nec inde sanctius vivant, quàm si non recepissent. Sic apte sanctus Bernardus triplicem distinguit Adventum Domini, nempe ad homines, in homines, & contra homines, ac primus quidem & tertius fat, inquit, noti sunt, & manifesti. De secundo qui spiritualia & occultus est, verba sunt sancti. Bernardi, audi ipsum dicentem, si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum

Serm. 3. de  
Adventu.

Serm. 5. de  
Adventu.

faciemus. Et alibi de hoc rursus triplici Adventu agens, Idem S. Abbas: In priore, inquit, in terris visus est, & cum hominibus conversatus, quando sicut ipse testatur, & viderunt & oderunt. In posteriore, videtur omni cæro salutare Dei nostri, & videbunt in quem transfixerunt. Medius occultus est, in quo soli eum in se ipsis vident electi, & salva sunt anima eorum. In primo venit in carne, & infirmitate; In hoc medio, in Spiritu & virtute; In ultimo, in gloria & maiestate. Adventus iste medius via quadam est per quam à primo veniatur ad ultimū. Et nonnullis interjectis: Hoc facit hic Adventus ut sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus & imaginem cælesti. Sicut fuit vetus Adam effusus per totum hominem, & totum occupavit; ita modo totum obtineat Christus qui totum creavit, totum redemit, totum & glorificabit. Quasi diceret, totum id efficiat in animis nostris quod ipse in præsepi docuit, sic nos intus & extra totos sibi conformet, ut quemadmodum orat Ecclesia: In illius inveniamur forma, in quo est nostra substantia. Et hoc modo respiciat in opera, quod per fidem fulget in mente, Per eum denique quem sim ille nec

bi foris agnovimus, intus reformari mereamur.

Hoc est quod tam magnificè prædicabat Apostolus, sicut jam ante dictum est; Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria sobrie & iuste & pie vivamus in hoc sæculo. Apparuit nempe nobis in primo Adventu gratia nos extra erudiens: in secundo vero nobis offertur ista gratia nos intus formans & conformans doctrinæ nascentis Jesu, quam doctrinam propterea qui non recipit, non recipit Jesum, non recipit venientem hoc secundo Adventu, quo se modo nobis offert. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipitis.* O humani cordis inhumanam vecordiam!

Tit. 2.

Ioan. 5.

### I. I. P U N C T U M.

SED qui magis proprie Christi sunt, nempe Communicantes, non ita recipiunt doctrinam Christi, ut se illi conformant.

Sunt ex illis certe Nonnulli qui proficiant, renascentes cum Infante JESU, & de novo induentes novum illum hominem, qui secundum Deū creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.

Eph. 4.

At verò quàm sunt illi pauci sic renascentes & renovati! Quàm multi contra suo semper in veteri remanentes homine, non minus terrena sapiunt & sensibilia quam si de Christi præsepio nihil audivissent? Quis sæcularium magis amans paupertatis, ex prædicata nobis à Christo paupertate? Quis magis contemptor gloriæ vel voluptatis, ex commendata nobis in stabulo Continentia, humilitate, patientia cæterisque virtutibus? Quis non videat quàm sit æque modo deplendum quod suo deplorabat tempore sanctus Bernardus: Sine devotione & affectione dicit istos arida quadam consuetudine observari! Et quod damnabilis est, inquit, ipsa quoque inestimabilis huius dignationis memoria datur in occasionem carnis, ut videas eos (scilicet sæculares) tanta solitudine diebus istis, vestium gloriā, ciborum parare delicias, ac si hæc huiusmodi querat in Nativitate sua Christus, & ibi suscipiatur dignius, ut hæc accuratus exhibeantur. Sed ipsum audi dicens, superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebā. Quid tanta ambitione vestes parat in natale meum? detestor ego superbiam, non amplector. Quid tanta sollicitudine ciborum copias repone in tempus illud? damno ego carnis delicias, non accepto. Celebrans ergo Adventum meum, labia me honoras: sed cor tuum longa est à me, non me

Serm. 3. in  
Adventu.

collo,



colis, sed Deus tuus venter est, & gloria in confusione tibi.

Quæ sancti Patris verba quantis eorum conveniunt qui se esse Christi profitentur: tanti profecto sunt qui Doctrinam ejus non recipiunt, cum hæc liberior vivendi licentia tam longè sit à doctrina Christi nascentis, quam cælum à terra, quam lux à tenebris, & quam Virtus à vitio.

### III. PUNCTUM.

**E**RGO qui Christi magis propriè sunt, Christum non recipiunt. Ergo non minus modò quam olim Christus in propria venit, nec sui sum magis recipiunt. Venit enim modo per novam Gratiàm quam ipse in Sacramento, vel extrà suis offert, ut affectu simul & effectu, pro sua quique vocatione, se conforment doctrinæ quam è præsepi docet, circa concupiscentias divitiarum, honorum, & voluptatum: tam pauci verò sunt ex iis etiam qui Sacramenta frequentant & Christianam colere pietatem videntur, tam pauci rarique sunt, inquam, qui hanc ejus gratiàm & practicam doctrinam recipiant, ut vix ulli de illa suscipienda & in mores suos inducenda cogitent; Quid sequitur nisi quòd sui eum non recipiunt: cum à popularibus suis non dicatur aliter non rece-

ptus, quàm quòd docenti non crediderint, nec se illius præceptis vel consiliis conformarint? *Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.*

Ioan. 10.

Et certè cum sæpe suis Christus quos mittebat prædicatum diceret, quòd iis à quibus non reciperentur, durius foret quàm Sodomis: an putas diceret de receptione personæ, vel doctrinæ? Sicut enim Legatus tunc verè recipi dicitur aut remitti, quando quod proponit, approbatur vel improbatur, sic planè Christus & qui pro Christo legatione funguntur, tunc recipiuntur aut repelluntur, quando quod proponunt ad salutem sic admittitur, ut vel effectu suo donetur vel privetur. Unde ipse Dominus: *Qui spernit me & non accipit verba mea, habet qui judicet eum: sermo quem loquutus sum, ille judicabit eum.* Quasi diceret, hoc est me spernere, non accipere verba mea: sicut autem in sermone meo fui contemptus, sic in eodem honorificabor, quando ille ipse sermo qui fuit spretus, spernentem judicabit. O quàm verè dictum de Domino, *Quod percussit terram, id est terrestres animas, virgâ oris sui.* O deplorandas animas quæ cum possent sui virgâ Pastoris tutè regi & conservari, malunt sui virgâ Judicis percuti & condemnari!

Matt. 10.

Luc. 10.

Ioan. 12.

Isa. 11.

## FERIA SECUNDA DE DILIGENTIA, SEV DEVOTIONE QUÆ EST OPPOSITA VITIO ACEDIÆ.

*Exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana, cum festinatione, in civitatem Iuda. LUC. I.*

### VERITAS PRACTICA.

Quidquid offerendum Deo sciet vera Devotio, differre nesciet.

SENSUS EST, Quod, ut ait sanctus Ambrosius: Nescit tarda molimina Spiritus sancti Gratiæ; Itaque vera Devotio.

**RATIO EST,** Quia idcirco Spiritus sancti Gratiæ nescit tarditatem, quòd nos impellat ad exequendam divinam voluntatem quæ est promptè exequenda.

Sed vera Devotio ad illam ipsam divinam voluntatem adimplendam, cum eadem Spiritus sancti Gratiæ, nos impellit.

I

Ergo



Ergo sicut nescit tarda molimina Spiritus sancti Gratia; ita neque vera Devotio; aut certe non est vera, quod est valde cavendum.

## I. PUNCTUM

CONTEMPLARE sanctissimam Virginem, sic affixam contemplationi mysterii Verbi Incarnati, ut tamen non obliviscatur verborum Angel, quæ de cognata Elizabeth dixerat: simulque sentiens se ad eam visitandam à Spiritu sancto commoveri, non est cunctata in diem alteram, nec in horam: sed ipso pene momento quo discessit ab ea Angelus, exurgens abiit, non segniter, non lento gradu; sed cum festinatione, quo eam impellebat Gratia & divinæ voluntatis ad implendam desiderium.

Hinc autem S. Ambrosius celeberrimum illud Effatum pronuntiavit, *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, quod de vera Devotione perinde dicitur, quæ est opposita vitio Acediæ, & quæ plurimum potest ad præparandam viam Domini. Ratio est plana & facilis, Quia una & eadem est planeratio, cur Gratia & Devotio tarditatem nesciant, cur Gratia & Devotio tarditatem nesciant. Cur enim Gratia, nisi quod ad divinam Voluntatem nos impellat quæ non tarde & cunctanter, sed prompte, velociter & statim ut cognoscitur, est ad implendam? Sic rex ille piissimus Josaphat commendans suis divina quædam opera, *Sit timor Domini vobiscum*, inquit, *& cum diligentia, cuncta facite, non est enim apud Dominum nostrum iniquitas. Quali diceret, quod à Domino præcipitur, tam sanctum & iustum est, ut sicut non est dubitandum, quò minus fiat, ita nec differendum quin statim fiat; Cur enim differas exequi, quod vult Deus, cum hoc ipsum velit ne differas? Audi ut loquitur; Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare. In omnibus operibus tuis esto velox. Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo. Iste adversarius non solum est sermo, sed Ductus divinus seu divina voluntas quæ te ad salutem & perfectionem contra naturalem inclinationem ducit: & cui est citò consentiendum, ne tibi deserat & mole pereas; Ibunt, inquit, in adinventionibus suis qui Deum sequi noluerunt: At quònam ibunt, sine Deo?*

L. 2. in Luc.

2. Par. 19

Dent. 23.

Eccles. 9.

Eccles. 31.

Math. 5.

Pf. 80.

## II. PUNCTUM.

SED vera Devotio ad illam ipsam Divinam Voluntatem, cum eadem Spiritus sancti Gratia, nos impellit.

Sic enim expresse à S. Thoma definitur *specialis quidam actus voluntatis prompta ad faciendam quacumque ad Dei servitium & famulatum spectans*. Sic ab eodem dicitur *Meditatio Devotionis causa, In quantum scilicet homo per meditationem concipit quod se tradat divino obsequio, ad quod quidem inducit duplex consideratio: Una quædam quæ est ex parte divinæ bonitatis & beneficiorum ipsius secundum illud Psalmi: Mibi adharere Deo bonum est; & hac consideratio excitat Dilectionem quæ est proxima Devotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus ex quibus indiget ut Deo innisatur, &c. Et hac consideratio excludit præsumptionem per quam aliquis impeditur ne se Deo subiciat. Et articulo sequenti docet latitiam & tristitiam esse devotionis effectus, In quantum se homo sentit subiectum, vel non subiectum Deo.*

Sic S. Ambrosius de Abrahamo scribens, *Consideremus*, inquit, *cujusmodi fuerit in eo Viro Devotio. Ea enim virtus ordine prima est, quæ est fundamentum cæterarum, meritoque hanc ab eo primam exegit Deus dicens, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui.*

Sed quid ista spectant ad virtutem Devotionis, nisi quod Devotio sic spectat divinam Voluntatem, ut qui impedimenta abjiciant Divinæ Voluntatis adimplendæ, illi præ cæteris Devoti habeantur? Unde ille sanctus Doctor pro affectu hic concitando aptè concludit; *Ergo exire de conversatione terrena, & à secularibus & superioris vitæ moribus atq; actibus debemus, ut non solum loca sed etiam nosmetipsos mutemus. Si cupimus adharere Christo, deseramus corruptibilia. Sunt autem corruptibilia in nobis Caro, delictatio &c. O quam illa sunt, quæ sunt opposita Christo, vel divinæ voluntati, ut nos retardent!*

## III. PUNCTUM.

Sicut ergo nescit tarda molimina Spiritus sancti Gratia sic neque vera Devotio; Cum non minus Devotio quam Gratia respiciat obsequium Dei seu Voluntatem Divinam, propter quam

2. 2. 981. a. 1.

Ibid. a. 3.

Pf. 72.

Ibid. a. 4.

L. 1. de Abrah.

Genes. 12.



Exod. 31.  
2. 2. 9. 32.  
4. 2.

quam perfectius adimplendam excutienda est  
omni tarditas, & matura quævis diligentia  
est adhibenda. *Mente promptissima atque De-*  
*vota.* Sic utrumque simul conjungit scriptura.  
Et S. Thomas docens devotionem esse  
actum Religionis, non aliter probat quam  
quod *adeandem*, inquit, *virtutem pertinet*  
*volo facere aliquid, & promptam Voluntatem*  
*habere ad illud faciendum, quia utriusque*  
*aditus est idem objectum. Manifestum est autem*  
*quod operari ea qua pertinet ad divinum cul-*  
*tum seu famulatum pertinet proprie ad Reli-*  
*gionem, unde etiam ad omnes pertinet HABERE*  
*POLYNTATEM PROMPTAM ad hujus-*  
*modi exequenda, quod est esse devotum.*

Quid clarius? quid expressius ad inseparabilem  
Devotionis & promptitudinis conjun-  
ctionem indicandam? Ecce certe si una ex con-  
ditionibus obedientiæ quæ homini propter  
Deum redditur, est promptitudo: cur non eadem  
promptitudo requiretur, quando ipsi  
Deo est servendum & obediendum? Sic aptè  
S. Bernardus, *Velociter currit sermo Dei, &*  
*velocem desiderat habere sequentem; videt cum*  
*quantia velocitate currit illo qui dicit viam*  
*mandatorum tuorum cucurri. Fidelis obediens*  
*nescit moras, fugit cunctis, ignorat tarditatem,*  
*præcipit præcipientem, parat oculos visui, aures*  
*audiri, lingua voci, manus operi, itinere pedes,*  
*totum se colligit ut Imperantis colligat Volunta-*

*tem. Vide Dominum velociter præcipientem, &*  
*hominem festinanter ebedientem, Zachae, in-*  
*quit, festinans descende, quia hodie in domo tua*  
*oportet me manere, & festinanter descendit, &*  
*exceptit eum gaudens. Nomen legisti quod filiis*  
*Israel præcipitur ut agnum comedant festinan-*  
*ter? quia verba illa qua per legem dedit, qua*  
*per semetipsum præsens exhibuit, qua per*  
*Ecclesia præpositos tradenda reliquit, veloci sunt*  
*obediencia consummandæ.*

Ex quibus S. Patris verbis facilius intelli-  
gitur Sapiens dum à nobis quærit, *Quid adhuc*  
*resardas? & quid dicitis in his?* Spiritus ille  
est sanctus qui nescit tarda molimina. Ille ipse  
est qui per Sapientem quærit à te cur ita retar-  
des & languas in tuis spiritualibus exercitiis,  
cum ad majorem diligentiam toties & tam  
vehementer exciteris? Responde si quid habes,  
& audi num approbet quod respondes.  
Audi, quod idem monet: *De negligentia tua*  
*purga te cum paucis.* Id est, paucorum est se de  
hoc purgare vitio, adeo sunt multi negligentes  
& omnes inexcusabiles. Vel sic: Sic te purga,  
ut te accuses potius quam excuses. Vel denique,  
si non potes multa præstare diligentius,  
offer saltem pauca quæ possis: ut de te possit  
dici: *Quod habuit hic, fecit.* Nihil æquè purgat  
de negligentia.

Vide in Indicibus verbo *Devotio*, & præ-  
fertim in 4. parte.

Luc. 19.

Exod. 13.

Eccles. 5.

Ibid. 7.

Marc. 14.

## FERIA TERTIA.

### DE CHARITATE QUÆ EST OP- POSITA VITIO INVIDIÆ.

*Et intravit domum Zachariæ, & salutavit*  
*Elizabeth. Luc. 1.*

#### VERITAS PRACTICA.

Charitas alienis bonis gaudet, ut propriis.

RATIO EST, *Quia Charitas sic uno Dei bono*

*gaudet, ut abicunquo Dei bonum reperiat, ut*  
*Charitas gaudeat.*

*Sed in alienis bonis, æque ac in nostris propriis*  
*reperiri potest bonum Dei.*

*Ergo & illis Charitas æque gaudet. Quod tamen*  
*cum sit verum, sic raris est Charitas.*



## I. PUNCTUM.

**Q**UOD uno verbo dicitur Maria Virgo saluasse Elisabeth, sic glossa interlinearis interpretatur, *Quasi congratulans de dono quod eam accepisse didicerat.* Congaudebat videlicet Virgo Mater sterili Matri, quod sicut in gravidata Virgine, sic in sterili fecundata, Deus magnificaret potentiam & misericordiam suam.

O quæ tum Virginis verba! quæ vox salutationis! qui affectus! quæ Charitas! Expende & agnosce illam esse Charitatem, *Qua alienis bonis gaudes ut propriis: illam esse Charitatem, quæ, ut scribit Apostolus, Benigna est, non amulatur, non agit perperam, non instatur, non est ambiciosa, non quarit quæ sua sunt, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Illam denique esse Charitatem, quæ ad præparandam Domino viam, tantum valet ut dicatur Excellentior via; *Ahuc, inquit, Excellentiorem viam vobis demonstro.*

Sicut autem quæ excellentiora sunt, sunt etiam rariora, sic profus ista Charitas, Pauci omnino sunt, & valde rari, qui sic alienis proximorum bonis gaudeant, ut propriis. Quamobrem eò diligentius expendenda est Veritas, quæ de hac Charitate proponitur, ut videas quàm longè ab ea sis.

Ac primo illud quod præmittitur, Charitatem sic uno Dei bono gaudere, ut ubicunque tale Dei bonum reperitur, eo Charitas gaudeat, facile est demonstrare. Nam cum gaudium sit amoris certa proprietates, qualis est amor, tale necessè est ut sit gaudium ex illo proveniens: Amor autem Dei qui est *Charitas diffusa in cordibus nostris*, & de qua hic loquimur, sic unum Dei bonum amat in omnibus, ut ubicunque sit illud bonum, illud amet. Quemadmodum enim nullum amat creatum bonum, nisi propter Deum, quem in illo bono videt; sic omne bonum amat in quo Deum videt. *Quid enim mihi est in celo? & à te quid volui super terram? Quasi diceret; Nihil est in celo neque in terra quod amem nisi propter Deum; Et nihil est amabile in celo & in terra, quod non amem propter ipsum. Ille est unus quem amo in omnibus, & omnia in eo amo. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Nullum præter Deum, ait S. Augustinus. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amator.* Sic ergo

consequenter de gaudio est sentiendum, quod ex hac Charitate procedit, cum sit ejusdem profus naturæ & conditionis, De nullo bono excitatur nisi propter Deum qui in eo bono reperitur: & de omni bono ubi Deus reperitur, omnino excitatur. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

## II. PUNCTUM.

**S**ED in alienis proximorum bonis, æquè reperiri potest illud bonum Dei, atque in nostris propriis.

Cur enim si bona sunt, non sint æquè à Deo, & ad Deum, atque nostra? Estne aliquod bonum quod non sit à Deo, aut quod non sit propter ipsum? Nonne universim de omni bono singulis dato scribitur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum? Et omnem, inquit, qui in vocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum;* Quasi diceret, ne forte dubites, sic repeto & inculco. Fateamur itaque, quod prudentissima Judith, *Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti, & hoc factum est quod ipse voluisti.* Et cum beatis Cælestibus in Apocalypsi; *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*

## III. PUNCTUM.

**S**IC ergo Charitas alienis bonis gaudet ut propriis. Cum enim nec propriis gaudeat nisi propter Deum, quem in illis videt; cur non gauderet alienis, ubi æquè Deum videre potest: aut quid est quamobrem Deum, ibi non æquè videat? Nihil planè est nisi Invidia quæ est opposita illi Charitati, & quam inde agnosces pessimum esse vitium, ut quod opponatur directè bono, & bono Dei, ac maximæ omnium virtuti quæ est Charitas. Hinc aptè Sapiens, *Nequius oculo, quid creatum est? Et Christus Dominus, An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Responde invide, aut desine invidere.* Si veramur comedere cum homine invidio, quid expectas commercii, & communicationis cum Christo?

Neque verò Invidus tam nocet aliis quàm sibi, qui si alieno gauderet bono, suum posset

Hab. 3.

Iac. 1.

Is. 43.

Judith. 9.

Apoc. 4.

Ecccl. 31.

Matt. 20.

Prov. 23.

face-



facere; Et illo se miser fructu privat, atque invidiæ pœnas accersit gravissimas. Sic qui sibi invidet, ut ait Sapiens, Nihil est illo nequius, & hac redditis est malitia illius. Hic in se ipsum inquire diligenter, & ad emendationem,

illud etiam atque etiam S. Augustini revolve: Tolle invidiam, & tuum est quod habeo; Li- vor separat, Charitas jungit, ipsam habeto & cuncta habebis. In Ioann.

## FERIA QUARTA

### DE HUMILITATE QUÆ EST OPPOSITA SUPERBIÆ.

*Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.  
Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari  
meo. Luc. i.*

#### VERITAS PRACTICA.

Quantò se Humilis minorem facit, tanto magis magnificat Deum.

**RATIO EST,** Quia tanto magis magnificatur Dominus, quanto ejus divina perfectione manifestantur.

Sed quantò se Humilis minorem facit, tanto magis divina perfectiones manifestantur.

Ergo & tanto magis sic magnificat Dominum. Quod certe est motivum potentissimum ad frequens humilitatis exercitium.

#### I. PUNCTUM.

**E**T factum est ut audivit Salutationem Maria Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tua in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo, & beata qua credidisti, quoniam perficientur ea qua dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, &c.

Perpendi singula, vel quædam ex eis præ affectu possent; Tum verò illud præcipue, quòd cum Beatissima Virgo sic se audiret laudari, tanto magis se deprimat; & quanto etiam se minorem facit, tanto magis magnificat Dominum. O verum humilitatis exemplar! Emulare; & ad Veritatis propositæ declarationem, hoc primum agnosce. Quòd tanto magis magnificatur Dominus, quanto ejus divinæ perfectiones manifestantur. Nam sicut aliter non potest à nobis magnificari, quam manifestando ejus perfectiones, quid enim ei confete possumus, quod non habet? sic cum illæ innotescunt quæ antè latebant, dicitur glorificari & magnificari, quia inde scilicet Ejus Gloria & magnitudo cognoscitur, propter quam ab hominibus laudatur & benedicitur.

Sic Moyses transito mari rubro, Cantemus, inquit, Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare. Iste Deus meus & glorificabo eum. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine. Id est, Fortitudo & Potentia tua nunc maximè manifestata sunt. Sic David exardebat ad has divinas perfectiones manifestandas, cum omnes invitaret, Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in dispersum. Sic Apollolus, Pf. 33.



*Phil. 1.* stulus, prædicando Christum; In nullo, inquit, confundar, sed in omni fiducia, sicut semper, Et nunc, magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Sic denique sanctissima Virgo parens magnificat Dominum, in suo illo cantico, cum ejus potentiam, misericordiam, fidelitatem, & alias decantat perfectiones, quas tu ipse usque ad versum quintum, revolvendo venerare, & adora.

## II. PUNCTUM.

**S**ED quanto se humilis minorem facit, tanto magis divina perfectiones manifestantur.

Nam ut omittam dicere quod est commune in hac materia, humilem corde, quidquid habet, & quidquid est, in unum Deum referre, unde tandem divina magnitudo & Bonitas agnoscantur, ut sentiebat Apostolus dicens, Non ego, sed gratia Dei mecum: Tres alij præterea occurrunt modi, quibus propositio directè declaratur. Primus est, quòd cum in agnitione & bonitatis divinæ sit, magnum & sanctum facere hominem, qui nihil ex se est nisi peccator: profectò quo magis homo se nihil facit, & quo magis se peccatorem atque ex se longè à sanctitate remotum cognoscet, eo magis illam Dei bonitatem extollet. Sic profectò eo major Dei potentia dignoscitur, quando minus potentem assumit ad aliquid ingens opus efficiendum. Unde idem Apostolus, postquam dixit: Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & consumeliosus, addit, sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem patientiam.

*1. Tim. 1.*

Secundò, cum ita naturale sit homini seipsum amare, & amore sui excellentiam & humanas laudes appetere, quando humilis contra hanc naturalem inclinationem se deprimit, & se infra omnes potius abjicit, quam vel uni se præferat; certè vim gratiæ & virtutem Christi plurimum manifestat, à quo habet ut sic se humiliet, & sic se ipso major fiat, cum se minorem facit. Et hoc non ex vobis, inquit Apostolus, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur.

*Phil. 2.*

Denique, cum ob Dei cultum & venerationem, homo se humiliet & deprimat, non potest sic non magnopere manifestari quantum sit Deus, ad quem colendum homo alioquin superbus, & arrogans sese dimittat, & se potius patiatur contemni quam laudari, si ex sui contemptu videat majorem Dei gloriam. Sic Rex humilis David: Ante Dominum qui elegit me, & Iudam, & vilior sum, plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Sic Iorè dices. Sed faciendo dicendum est sicut ille dicendo faciebat. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. *2. Reg. 6. Ioann. 16.*

## III. PUNCTUM.

**H**INC ergo patet non modò veritas, Quòd *Eccl. 3.* quanto humilis se minorem fecerit, tanto magis magnificabit Dominum, unde aptissime Sapiens: Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Sed & veritatis in praxim advocandæ, motivum efficax inde elicitur. Quid enim magnificentius, quam posse magnificare Deum? Quid indignius quam id nolle cum possis, & idcirco nolle, ut te ipsù potius magnifices quam Deum? Tu quis es? què teipsù facis? audesnetibi aliquid arrogare ad cõmendationem & magnificentiam tuam? Quando tuum esset aliquid, nonne libenter Deo consecratum velles ad ejus gloriam? quanto magis quod Dei est. Deo debes relinquere? Tua est Domine magnificentia, & potestas, & gloria, dicunt Scripturæ. Tu verò vis ex illis esse qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Iudicare Domine, iudicare pupillo & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. Id est, profer Domine iudicium quod facis contra superbos in favorem humilium, quo auditio superbi se fortè continebunt. Nonne times hoc iudicium? oculus serius proferetur; Ecco ego ad te superbe, dicit Dominus, quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ. Et cades superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum. *9. Par. ult. Ps. 11. Psal. 9. Is. 50.*

Satius est præoccupare faciem ejus.

FE-



# FERIA QUINTA.

## DE VIRTUTE QUÆ EST OPPOSITA VITIO AVARITIÆ.

*Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles.  
Esurientes implevit bonis, & Divites dimisit  
inanes. LUC. I.*

### VERITAS PRACTICA.

Omnis copia quæ Deus non est, egestas censenda est.

*RATIO EST, Quia non nisi egestas censeri debet illa copia qua nihil prodest viro copioso, in summa ejus necessitate.*

*Sed talis est copia qua Deus non est.*

*Ergo egestas censenda est; Ac proximè nihil divitiarum sine Deo.*

### I. PUNCTUM.

**P**ERGIT magnificare Dominum Beatissima Virgo, & in ejus magnificentie commendationem adducit quod potentiores quosque humiliet, eosque præcipue qui suis præfidentes divites, seminus voluntarie Deo subijciunt, quasi minus ab illo dependeant: sed miseri tandem co inopia & calamitatis rediguntur, ut cum abundantiores se putabunt, egentiores se sentiant. Quod & passim Scriptura commemorat, *Quoniam dives sicut flos sæni transibit, exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fennum, & flos ejus decidit & decar vultus ejus deperit, ita & dives in itineribus suis marcescet.*

*Jacob. 1.  
Is. 40.  
Bar. 3.*

*Lib. 10.  
Conf. 8*

Hinc illa est celeberrima Veritas, ex S. Augustino de prompta, *Quod omnis copia qua Deus non est, egestas est.* Id est, omnia terrena, temporalia, & humana, si tantum in se considerentur, nec ad Deum, & ad salutem æternam referantur, non sunt veræ divitiæ, sed mera inopia, miseria & egestas; Unde ad Veri-

tatis praxim, sequitur, sic advertendum esse animam ab illis bonis terrenis, ut in solis spiritualibus & æternis acquiescamus. Sic autem Veritas declaratur.

Quæcunque tandem sit rerum humanarum copia & abundantia, si possessori suo nihil prodest in summa ipsius necessitate, profectò non nisi egestas & inopia censenda est; ut si quis abundet rebus quæ pultum profus habent usum in ea mundi parte ubi vitæ agit; Nonne hæc rerum abundantia tunc erit illi inutilis, & mera inopia? Sic alius abundet prædiis, peculium inde proventum, nullam pecuniam, nec ullum deniq; reditum recipiat, quo se sustentare possit; nonne illa prædiorum copia, egestas est? Abundet alius pecuniis, nec panem aut ullum alimentum sibi comparare possit, ut accidit in oblecta civitate; nonne illam pecuniarum copiam, tunc meram inopiam & egestatem dixeris? Abundet denique paucibus & alimentis, morbo autem vel capivitate ita detineatur, ut cibo uti nullo queat, sicque fame intereat; nonne tum inopiam reputabis quolibet copiam? Quid mihi divitiarum, inquit Poeta, si non conceatur usus? sic nosse Sapiens, *Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?* Quia scilicet ad hunc est. Cui nihil profunt divitiæ, vel potius quasi diceret, nihil profunt stulto divitiæ, cum is etiam non possit stultus, nec iis se stultitiam liberare.

*Prov. 17*

Pater itaque quam vera sit universim prima propositio; Atque in istis sensibilibus, satis ex se notis, utile est aliquando immorari, ut inde ad interna & æterna quæ sunt, minus ex se cogni-



cognita, facilius deveniamus. Sic nos sæpe Deus instruit, *Ve non prius quod spirituale est; sed quod animale, deinde quod spirituale, ut ait Apostolus. Unde & Dominus: Adhuc & vos sine intellectu estis? quando scilicet ex illis cogitis, ad incognita non pertransitur, Nunquid hoc tibi posset obijcere?*

## II. PUNCTUM.

**S**ed talis est copia qua Deus non est, Id est, quicquid sit quod habeas, nisi habeas illam divinam Gratiā, per quam Deus nobiscum habitat, & nos cum illo; per quam Filij Dei sumus, & heredes eius, coheredes autem Christi; Nisi habeas virtutes & opera quæ sunt necessaria ad Gratiā illam conservandam, illamque hereditatem aliquando consequendam: Nihil habes quod tibi profit in tua summa necessitate. Nam hæc est tua summa necessitas, *Salvum & beatum esse, cui necessitati nihil profunt divitiæ, nisi fuerint fructuosæ propter Deum impensæ; nihil profunt dignitates, nihil doctrina, nihil artes, nihil auctoritas, nihil denique aliud quam quod spirituale est & divinum. Quid nobis, inquit, profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt illa tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis qua pertransit fluctuantem aquam, aut tanquam avis qua transuolat in ære, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer in se continuo reclusus est, ut ignoretur transitus illius: sic & nos nati convivimus deservimus esse, & virtutis quidam nullum signum valimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus, Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt, quoniam spes impij tanquam lanugo est qua à vento tollitur & tanquam spuma gracilis qua à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est; & tanquam memoria hospitii u-*

*nus diei pratereritis. Iusti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum. Utinam ex his sapieres & intelligeres, ac novissima provideres.*

## III. PUNCTUM.

**O**MNIS igitur copia qua Deus non est, egestas censenda est; Quandoquidem copioso illi viro nihil prodest in summa sua necessitate; unde & Job aptissime; *Dives cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos & nihil inveniet; apprehendet eum quasi aqua inopia; nocte opprimit eum tempestas, Et Sapiens de eodem divite seu de quovis affixo rebus humanis; Laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitijs, nec recogitat dicens, Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Certe quando hoc unum esset, quod idem Sapiens toties ingeminat, nihil ex humanis rebus esse, quo animus hominis satiari & refici possit, satis esset ad indicandum, quàm sint egena omnia; & omnis copia, quæ Deus non est, quam sit mera egestas, cum solus Deus animum possit expleri: sed quia paucis hæc sapiunt, multis vero terrena & caduca, ut descebat Apostolus; Animadvertant hi saltem, quò tandem abitura sint omnia! quis eorum finis & exitus! quid in morte, quid in iudicio, quid ad felicem æternitatem magis juyet humilitas an gloria? paupertas an divitiæ? voluptas an delicia? *Vir insipiens non cognoscat, & stultus non intelliget hæc. Nimirum hic est stultus, qui se beatum & felicem prædicat & cui à Deo dicitur, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, qua autem parasti cuius erunt? sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.**

O sæpe inculcanda verba!

ô sæpe iteranda sententia!

Vide Verbo, Divitiā, Avaritiā,



FERIA SEXTA.

DE CASTITATIS CVSTODIA,  
EXEMPLO BEATISSIMAE VIRGINIS.

*Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus,  
& reversa est in domum suam. Elizabeth autem  
impletum est tempus pariendi, & pepe-  
rit Filium. LUC. I.*

VERITAS PRACTICA.

Securior est Castitatis victoria fugiendo, quam pugnando.

RATIO EST, Quia quod magis debilitantur hostes Castitatis, eo securior est eius victoria. Sed magis debilitantur fugiendo quam pugnando.

Ergo & securior inde victoria. Ac proinde fugiendum.

I. PUNCTUM.

**H**IC observant Interpretes non frustra dictum ab Evangelista, *Quasi tribus mensibus*, ut innuere non tribus integris mensibus mansisse B. Virginem apud Cognatam Elizabeth, ac proinde non interfuisse eius partui. Quod confirmant ex eo quod statim post discessum Virginis, dicitur esse impletum tempus Elizabeth pariendi, & peperisse filium; Nec mirum si ante partum discesserit Virgo purissima, cum, ut refert Nicephorus, id in more positum esset apud Judaeos, ut tam Virgines secederent eum tempus patientis immineret, additque Theophylactus indecens esse Virgini in talibus conversari.

Sic ergo est, sic Virginalis pudor exigebat, sic consuetudo invaluerat, & sic prorsus debebat sanctissimam Virginum Virginem, abesse à conspectu & consortio parituræ mulie-

ris, ne quid vel oculos, vel aures, vel animam subiret, quod eius summa puritas averfaretur. Tamen enim Beatissima Virgo erat *Horius conclusus & fons signatus*, quò nulla vel levis macula introiret, tamen illa sic se sollicitè custodiebat, quasi una ex nobis esset, seu ad exemplum nostrum, seu quia sic à Deo sibi ordinatum videbat. Atque hoc ipsum est quod sanctæ Bigittæ alias revelavit in hæc verba, quæ habentur libro primo Revelationum, capite decimo. *Timens inquit, vehementissime, ne os loqueretur, ne aures, ne oculi viderent delectabilia; timida quoque fui in silentio, & multum anxia.*

Quamobrem quod scribit S. Ambrosius, valde est opportunum, *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitæque Mariae de qua velut in speculo resulget species castitatis, & forma virtutis.* Ac proinde ad Eius exemplum discamus timere, discamus fugere; *Longè enim securior est Castitatis Victoria, sic fugiendo quam pugnando.*

Ratio est aperta & facilis quoad illam primam partem qua dicitur, tum securiorem esse victoriam quo magis hostes expugnandi debilitantur. Quid enim clarius, & quid expressius ad victoriam indicandam, cum Ipse Deus sic eam designet: *Ego ante te ibo, & gloriosus terra humiliabo,* quali dicebat, tum postea facile vinces.

O quale subsidium in tanto periculo, si quanti sunt nobis adversarij, debilitari ac frangi possint, *Quoniam non est nobis, colluctatio*

Cant. 4.

L. 2. de Virgin.

If 45.

Ephes. 6.

K.

147.

Theophyl.  
Niceph.  
l. 1. c. 8.  
Rupertus  
Cant. 2.  
Ianseni.  
S. A.  
& alij.



tantum adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitia, in caelestibus. Paremnè te puras tot tantisque hostibus expugnandis? aut si speras Deum adiutorem, qualem te oportet esse pugilem, cum Deo simul pugnantem?

## II. PUNCTUM.

**S**ed hi hostes Castitatis magis debilitantur fugiendo, quam pugnando.

Totum enim eorum robur est in praesentia objecti, per quod movent concupiscentiam, & nos illiciuunt ad peccandum: Quapropter si removeatur tale objectum, si evitetur talis peccandi occasio, plane ita debilitantur, ut cum divina gratia enuetur eorum robur. Cum defecerint ligna, inquit sapiens, extinguetur ignis. Quod quidem universim dictum est de omni inordinato motu, sed particularim de libidine, hoc pene unum commendatur ut fugiatur occasio, in qua una pugnant & praevaleant hostes. *Virginem, inquit Ecclesiasticus, ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicu civitatis, nec oberraveris in platea illius. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc Concupiscentia quasi ignis exardescit. Speciem mulieris aliena multis admirati, reprobi facti sunt, colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Et quæ plura ibi habentur, unde patet quod quanta est potentia hostium in praesentia objecti, tam nulla sit, eo remoto: sicut cum exarmantur hostes, aut de statione sua deiciuntur.

Eecl. 7.

Quod & alius Sapiens sic brevius exprimit, *Inveni amariorem morte mulierem qua laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius, qui placet Deo effugiet illam qui autem peccator est, capietur ab illa, Quasi diceret, totum consistit ad bene vel male faciendum, ut mulier effugiat. Nam quod est valde notandum in hac materia tentationum, cum ad eas expugnandas sit maxime necessaria gratia, primus gratiæ motus est ad fugam occasionum, Cui gratiæ si consentias, tum te illa fideliter comitatur & subsequitur, donec conterat omnes inimicos tuos; si vero contra motum gratiæ persistis in occasione peccati, tum in poenam diminuitur gratia, & hostes ro-*

borantur. *Ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem. O quoties sic ambulasti, quoties sic peccasti!*

Mich. 6.

## III. PUNCTUM.

**S**ecurior est igitur Castitatis victoria fugiendo, quam pugnando: cum sic magis debilitentur hostes, eius, quibus debilitatis, in perpetuum coronata triumphat, incoquinatorum certaminum primum vincens, ut ait Sapientia.

Ad hoc unum commendandum conspirant omnes sancti Patres, quorum nonnulla dicta, tum ad Veritatis practicæ confirmationem, tum ad praxim sedulo exercendam tecum revolve, & ex his eff. Aus excita.

Sanctus Cyprianus, *In hac parte expedit plus bene timere quam male sibi, utilius est infirmum se quis cognoscat quam fortis si videri velit, infirmus emergat.* S. Ambrosius: *Gloriosa hac fuga est, fugere à facie peccati.* S. Hieronymus: *Quis juxta viperam securus somnos capiat? Nunquam securus cum hesuro latro nec cum lupo tutus est agnus. Alligabit quis in suo ignem, & vestimenta eius non comburentur? Ambulabit super carbones, & pedes illius non ardebunt? Itcir que aptissime ad rem nostram. Esicor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam. Tu qui pugnare, superari potes & vincere. Ego cum fugero, non vincam in eo quod fugio, & ideo fugio, ne vincam. Nulla securitas est vicino serpente dormire: potest fieri ut me non mordeat, tamen potest fieri ut me aliquando mordeat.* S. Augustinus: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis invenire victoriam. Nec tibi verendum sit fugere si Castitatis palmam desideras obtinere. Et post pauca. Infelix & nimium periculosa ista presumptio, multi dum se putabant vincere, vincti sunt. Hoc est vivere sub ruina. S. denique Ilidorus. Ante ignem consistens etiam si ferreus sis, aliquando dissolvetur: proximus periculo diu tutus non eris. saepe quod voluntas non potuit, fam. caritatis assiduitas superavit. Tune tot sanctis Patribus doctor, ut melius scias quam illi, bonum? Tune his sanctior, ut melius quam illi, fugias malum.*

Vide in 3. parte ferias post Dominicam s. Pentecostes, & in Indicibus Verbo

Castitas, Mortificatio, &c.

SAB.



S A B B A T O  
SEU IN VIGILIA NATIVITATIS,  
DE MANSVETVDINE QVÆ EST  
IRÆ OPPOSITA : ET QVÆ IN SANCTO  
JOSEPHO CLARÈ ELUCET.

*Joseph, Fili David, noli timere accipere Mariam Con-  
jugem tuam. Matth. i.*

VERITAS PRACTICA.

Mansuetudo parat hospitium Christo ven-  
turo.

**RATIO EST**, Quia Mansuetudo pacem in-  
ternam & externam conciliat.

*Sed in tali pace libenter hospitatur, & habitas  
Christus.*

*Ergo illi Mansuetudo parat hospitium, proinde-  
que diligenter procuranda, ut Christus in no-  
bis maneat, nec & nobis recedat.*

I. P U N C T U M.

**I**NTEREA cum intumesceret uterus Bea-  
tissimæ Virginis, sanctus Joseph sponsus  
eius castissimus, ignarus mysterii, ani-  
madvertit quod vix potest credere; Vi-  
det indubitatè quod dubitat tamen esse.  
Rem videt, nescit modum; Imo scit virginem  
tam puram, tam innocentem, & tam alienam  
ab eo quod videt, ut vix credat oculis suis; &  
credat potius se non videre quod videt, quam  
credat Virginem non esse Virginem. Sed ta-  
men illa fert uterum! Quomodo gravida po-  
test esse virgo? Quomodo possem accusare  
innocentem? quomodo possem excusare præ-  
gnantem? Hæc inter se pugnantia mirum  
quantum angerent & divexarent Josephi ani-  
mum! Et certe nisi Justus fuisset & mansue-  
tissimus, tum irasci, tum exandescere & præ-  
cipiti furoris impetu gravius aliquid moliri

poterat: sed Mansuetudo hos sedat motus, Ra-  
tionem servat, æquitatem tuetur, Deo confi-  
dit & locum relinquit Justitiæ, ut dum occul-  
tè dimittet Conjugem, nec innocentem pro-  
det, nec rei incognitæ consentiendo, se reum  
faciet coram Deo. Sic Glossa, probatque In-  
terpretes.

*HÆC autem eo cogitante*, ait Evangelista,  
*Ecce Angelus Domini apparuit in somniis ei,*  
*dicens, Joseph Fili David, noli timere accipere*  
*Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea na-*  
*tum est, de Spiritu sancto est. Et quæ plurimè*  
*textu sequuntur, Vide & contemplare pro*  
*affectu. Ad præx in vero nihil aptius Veritate*  
*proposita, quæ ab exemplo sancti Joseph de-*  
*sumitur. Quid enim hodie conformius nasci-*  
*turo Christo cogitare possis, quam ut inter-*  
*num pares ei hospitium? Parat autem Man-*  
*suetudo, quod certè mirum, & cogitatu fru-*  
*tuosissimum.*

Ratio hæc est, quia pacem internam & ex-  
ternam conciliat. Id enim efficit et sedatis  
passionibus, nobiscum & cum aliis omnibus  
cedendo potius quam resistendo, quantum in  
nobis est, pacem habeamus. Sic psaltes Re-  
gius. *Mansueti autem hereditabunt terram, Rom. 12.*  
& *delectabuntur in multitudine pacis. Sic S. Ps. 36.*  
Joannes Chrysostomus. *Nihil, inquit, a què*  
*solet pacem facere, ac Dei cognitio & virtutis*  
*possessio, qua animi perturbationem, internum*  
*bellum a domo procul ejicit, nec permittit ut ho-*  
*mo cum seipso seditiones agitet. Inique alibi*  
*fulsus, postquam comparavit iratum foro, ubi*  
*cit*

K 2

cit



est multus euntium & redeuntium clamor. Mansuetum solitudini ac montis vertici similem esse dixit, ubi aura suavis, purus riu-  
 pura fontium fluenta, multæ florum amœni-  
 tates, prata vernantia. Et quæ plura in hunc  
 modum profecit, *Ut appareat*, inquit,  
*quanta sit Viri mansueti & longanimis volu-*  
*ptas, qui Zephiri leuitatem & quietem imita-*  
*tur.* Itanè verò in te apparet? perferutare.  
 Non qualis modo sis, considerando: sed qualis  
 esse soles, ad iram provocatus.

### III. PUNCTUM.

**S**ED in tali pace libenter hospitatur & ha-  
 bitat Christus Dominus.

*In pace enim factus est locus ejus*, ait Da-  
 vid. Et ipsa de se Sapientia Incarnata, *In omni-*  
*bis requiem quasi vi.* Hoc primum eo nato  
 denunciatur: *Pax hominibus bona voluntatis.*  
 Hoc primum quod Discipulis se præcedenti-  
 bus in omnem locum, quò erat ipse venturus  
 commendabat: *Primum dicitur, Pax huic do-*  
*mus.* Sic princeps pacis dicitur, & cujus pa-  
 cis non erit finis: Sic in Salomone pacifico  
 præcipue adumbratur. Sic ejus denique re-  
 gnum dicitur, *Justitia, & Pax & gaudiū in Spi-*  
*ritu sancto*, ut ait Apostolus. Et ratio est aper-  
 ta, nam quomodo aliter regnaret in nobis nisi  
 nos regeret prout velleret? At quomodo nos pro  
 sua voluntate regeret, nisi pacati essent nostri  
 affectus, qui alioquin illi resisterent? unde  
 aptè in libro Job, *Et bestia terra erunt tibi pa-*  
*cifica.* In quibus verbis tria quædam advertit  
 S. Gregorius. Primum, quod per terræ bestias,  
 motus carnis intelliguntur qui dum mentem  
 nostram, irrationabilia suadendo, laceffunt,  
 contra nos bestialiter insurgunt. Deinde verò  
 inquit, dicuntur pacificæ, non quasi non fre-  
 mant aliquando & rugiant, sed quòd intra cor-  
 dis caveam fientes licet, teneantur. *Redacta*  
*namque intra claustra Continentiæ, etsi adhuc*  
*sentando rugiunt, usque ad morsum tamen*  
*actionis illicitæ non excedunt.* Denique cur pa-  
 cificæ potius quàm pacatæ? quia scilicet ex  
 ipso primo motu & fremitu pacem faciunt,  
 quatenus inde Mens religiosa sibi magis ca-

ver, magis recurrit ad Deum, magis suspirat  
 ad internam & æternam pacem. Quæ quidem  
 fufius, sanctus ille Doctor profecit. No-  
 bis modo sufficiat quod nobis optat Aposto-  
 lus: *Pacem habete: Et Deus Pacis & Dile-*  
*ctionis erit vobiscum.* O quis nolit pacem ha-  
 bere? Qui non vult pati. Adverte.

2. Cor. 13.

### III. PUNCTUM.

**S**IC ergo Mansuetudo parat hospitium Christo  
 Domino, Cum pacem illi parat, in qua tam  
 libenter habitat ut sit ejus locus, ejus domus,  
 ejus regnum, ejus imperium & sacerdotium,  
 Hic enim Melchisedech Rex salem, inquit Apo-  
 stolus, *primum quidem qui interpretatur Rex*  
*Justitiæ, deinde autem & Rex salem quod est*  
*Rex pacis.* O quanta inde Mansuetudinis com-  
 mendatio! quid desiderabilius quàm Chri-  
 stum nascentem in eo maxime loco recipere,  
 ubi libentius habitat & requiescit? *Magna ars*  
*est*, dicebat ille pius & satis notus Author, *Sci-*  
*re conservari cum Jesu, & scire Jesum tenere,*  
*magna prudentia.* *Esto humilis & pacificus, &*  
*erit tecum Jesus: sis devotus & quietus, & per-*  
*manebit tecum Jesus.*

Hebr. 7.

L. 2. de  
Imit. Ch.  
c. 3.

In his sanctis cogitationibus adjuge te co-  
 mitem itineris quòd hodie suscipiunt Maria  
 & Joseph in Bethleem, nec ab eis discedas do-  
 nec in mansuetudine suscipias in situm Verbum,  
 quod potest salvare animam tuam, ut ait S. Ja-  
 cobus, Verbum scilicet Incarnatum, & sic no-  
 bis quodammodo insitum, & nos in illo, velut  
 ramus arbori, ut inde floreamus & fructifice-  
 mus. Non sine fructu floreas, *Nam flores ejus,*  
*fructus honoris & honestatis.*

Jac. 1.

Ecc. 24.

Sed quinam ille est honor? quænam ejus  
 honestas? Ingredere stabulum, circumspice  
 omnia. Vide si quid mundani, si quid vani; si  
 quid aliud quàm præsepe, quàm paupertas,  
 quàm humilitas, quàm puritas, & patientia.  
 Ecce hic est honor, hæc honestas, cujus fru-  
 ctus in ipsis sunt floribus, cum in ipso primo  
 Christi nascentis ortu, tam perfectæ Vir-  
 tutes apparent, quæ a nobis  
 colligantur.

\* \*

IN



# IN NOCTE NATALIS DOMINI.

*Et reclinauit Eum in præsepio, quia non erat eis locus  
in diversorio. Luc. 2.*

## VERITAS PRACTICA.

Aut Christus fallitur, aut Mundus errat.

**RATIO EST,** Quia ex duobus contradictoriè  
seu contrariè oppositis, necesse est alterum falli  
& errare.

Sed Christus & Mundus, sic sunt inter se op-  
positi.

Ergo aut Christus fallitur, aut Mundus errat.  
**SED** quia divinam falli impossibile est Sapien-  
tiam, hinc necessario sequitur Mundum er-  
rare, ac proinde ab eo tam cavendum, quam  
Christo conformari volumus.

## I. PUNCTUM.

**P**ERVENIUNT tandem sub vesperam,  
Maria & Joseph, in Bethleemicum  
oppidum, quò eos obedientia Cæsari  
Augusto reddita, vocaverat. Diverso-  
riorum aliquod, ut mos est viatorum, in Ci-  
vitate quærunt, sed undique repelluntur, tum  
ob multitudinem adventantium, tum ob pau-  
peratatem quam præ se ferebant. Egressi igitur  
civitate, sese recipiunt in vicinum quoddam  
antrum omnibus per vium, quod stabuli for-  
mam & usum referebat. Hæc est scilicet illa  
domus hoc palatium quod Filio suo nascituro  
paraverat Deus! Illie sanctissima Parens divini  
sui partus præsentens (ælicissimam horam,  
Præsepe ad lectuli modum, qua potest indu-  
stria & pietate, componit; stramen, fœnum,  
paleas, & quicquid vile est huiusmodi collig-  
git, tum pannos lineos inopes quidem, sed be-  
ne mundos, involvendo filii corpusculo parat.

**ECCE** autem cum quietum silentium con-  
tineret omnia, & nox in suo cursu medium iter  
haberet, Omnipotens sermo Dei, Verbum illud  
divinum, jam novem mensibus incarnatum,  
à Regalibus Sedibus venit; **INTACTA**  
**MATRE NASCITUR**, apparet nudus in  
terra, pannis involvitur, in præsepio reclina-  
tur, quia non erat locus in diversorio!

O verè Verbum brevium quod fecit Domi-  
nus super terram! Quàm multa paucis com-  
prehensa mysteria! Deus homo! Deus infans!  
Deus in præsepio! Quid hic primum aut ulti-  
mum mirer! Junge te anima, junge te cordi-  
bus Mariæ & Josephi, nam altiora sunt & sa-  
ceratiora mysteria, quàm ut ipsa tu sola possis  
complecti; adora cum ipsis natum Deum; ad-  
mirare cum illis parvulum; congaude, con-  
dole, & omnes illorum affectus indue quibus  
tam debito pietatis officio, erga Deum tuum  
te exolvas, & ad fructum quem præterdit re-  
ferendum, cum ipsius gratis, te disponas.

**HIC** est autem ejus finis, & fructus inter  
alios, ut agnoscas quàm longe Mundus erret  
in suis dictis & factis, ne cum illo erres.  
Agnosces vero hic tam certò & evidenter,  
quàm certum est & evidens ex Christiana fi-  
de, Christum non posse falli. Nam posita Ve-  
ritate, quæ ex Divo Bernardo est, *Aut Chri-*  
*stus fallitur, aut Mundus errat;* quantum est  
evidens & infallibile, Christum non posse fal-  
li, tam erit omnino evidens & manifestum  
quod Mundus erret.

Ratio quæ id convincit, ipsa est, qua pro-  
posita Veritas declaratur; Nempe ex duo-  
bus contradictoriè vel contrariè oppositis,  
necesse est alterutrum falli seu falsum esse.

K 3

Hoc

Sap. 18.

If. 10.

Rom. 9.

Serm.;

de Na.



Ex 1. E.  
len. 4.  
L. 10. Me-  
cap. 6.  
5. Phys.  
textu 25.

Hoc est principium indubitatum, & ipso natura lumine notum, unde hæc effata communia, & ab omnibus ubique semper recepta emanarunt; De quocumque affirmatur alterum oppositorum, negatur alterum. De natura contrariorum est semper expellere. Conservativum unius contrarii est destructivum alterius. Contradicentium nullum est medium. Contradictio est pugna affirmationis & negationis. Denique impossibile est duo contradictoria esse simul vera, aut simul falsa. Quod quidem tam certum est, ut ne per ipsam Dei omnipotentiam aliter fieri possit. Neque est aliud quicquam quod negetur à Deo fieri posse, nisi quod contradictionem implicat, nisi quod contradictorium est; hoc unum respondetur, si quid divinitus negetur impossibile. Arque hoc tam clarum est non posse fieri, ut alio probationis lumine quo illustretur, non sit opus.

Deut. 28.

Hæresne dubius in hac veritate? Palpatres in meretricia, quæ est damnosa cæcitas.

## II. PUNCTUM.

SED Christus & mundus sunt contradictorie seu contrarie oppositi.

1. Joann. 2.

Licet contradictoria & contraria, duæ sint diversæ oppositiones, unam tamen eandemque in Christo sic nato statuimus, quia quæ ratione est contrarie oppositus mundo, eadem est contradictorie oppositus. Contrarius nempe est mundo Christus, quia contrariam mundo vitam instituit. Omne quod est in mundo, inquit dilectus Discipulus, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. At omne quod est in stabulo Bethlemico seu in Christo ibi nato, & in præsepio reclinato, oppositum est & plane contrarium illi triplici concupiscentiæ. Perpende diligenter.

Tract. 24.  
In Joann.

Serm. 3.  
in Nativ.

Sic verò est etiam contradictione mundo oppositus, id est, illud affirmat quod mundus negat, aut illud negat quod affirmat mundus; Nam etsi Christus infans nihil loquitur, nihil ore affirmat aut negat; non desinit tamen loqui & loquendo destruere quod mundus adstruit. Ipsi opus loquela est, ut ait S. August. Quia ipse Christus verbum Dei est, etiam factum verbi, verbum nobis est. Hoc præclare S. Bernardus, In stabulo, inquit, nascitur Christus. & in præsepio reclinatur. Et nonne ipse est qui dicit, meus est orbis terra. & plenitudo ejus? Quid ergo stabulum elegit? Plane ut reprobat

gloriam mundi, damno: sæculi vanitatem; Ne dum loquitur lingua, & quacunque sunt de eo clamant, prædicant, Evangelizant; ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, subvertitur, confutatur. Et alibi. Infans quidem est, sed Verbum. Infans cujus ne ipsa quidem infantia tacet. Clamat hoc stabulum clamat præsepe, clamant lachryma, clamant panni. Nempe illud ipsum quod postea prædabit, Beati pauperes spiritu: Væ vobis divitibus. Et quæ toto continentur Evangelio.

Serm. 5.  
in Nativ.

Matth. 5.  
Luc. 6.

Ah Christe Jesu, jam capio quod dixisti, Mundus me odit quia testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt, & rursum, Constatte, Ego vici mundum.

Joann. 7.

Ibid. 16.

## III. PUNCTUM.

UT Christus ergo fallitur, aut mundus errat; seu potius, Cum ergo Christus non fallatur, certissime mundus errat. Nam ab iisdem principiis utraque plane manat conclusio. Nempe ex duobus oppositis, alterum um falli necesse est: Christus autem & mundus sunt inter se oppositi; Aut ille igitur, aut iste fallitur; Est enim veritas indivisibilis, aut tota se tenet ex parte unius, aut tota ex parte alterius. At cum Christus sit ipsa Veritas, & ipsa Dei Sapientia, quæ nec falli potest nec fallere, quid sequitur nisi mundum falli? quid sequitur eligentem Christo quod carni molitius est, nisi quod ait S. Bernardus, Id ergo melius, id utilis, id potius eligendum: & quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cavendum. Tum idem pergens, iam verò, inquit etiam nocte nasci voluit; Vos sunt qui tantopere gestiunt ostentare semetipsos? Christus elegit quod salubrius iudicat, vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cujus iudicium justius? Cujus sententia sanior?

Serm. 3.  
in Nativ.

Ut fructuosius verò hæc tibi & aliis applices, agnoscendum universim & particulatim quam late pateat, & quam facile sese diffundat & communicet iste mundus qui est oppositus Christo: quam in te partem habeat, quid in te, quid in sensu, in affectu, in verbis, & tota vita simile mundo sit & Christo dissimile. Ne quis autem sibi palpet quasi qui de Christo melius sentiat quam de mundo, audiat S. Joannem Chrysostomum longe aliter de se ac suis, qui te forte non erant deteriores, affirmant-



L. I. de  
Comp. c. 1  
firmantem: Etenim si quis extrinsecus undecumq; adesset & præceptorum Christi ac nostra conversationis confusionem ac perturbationem videret, nescio an alius magis ullos quàm nos, inimicos esse & contrarios præceptorum Christi iudicaret. Quasi enim qui studium quoddam habuerimus contraria in omnibus gerere quàm ille mandavit, ita viam hanc vitæ peragimus. Et

post exhibita Christi exempla & monita, sic pergit; Ad hæc quid dicimus? pro singulis enim hic lachryma tantummodo proferenda sunt. & confusio habenda est; Apertè enim contra hæc omnia militamus. Væ mundo à scandalis! Et væ tibi à mundo, quisquis ab eo tibi non caves, quisquis Christo totus non adhæres. Hæc loquere, & exhortare.

Ibid. c. 4.

Matt. 18.

## IN DIE NATALIS DOMINI.

Magnificatus est Rex pacificus, super omnes Reges universæ terræ. 3. Reg. 10.

### VERITAS PRACTICA.

Christus in præsepi, & Christianus in humilitate, magis magnificatus est quàm Salomon in Throno suo.

RATIO EST. Quia tota Salomonis magnificentia in his quatuor consistebat, Sapientia, Potentia, Divitiis, & Deliciis.

Sed Christus, & Christianus in his quatuor magis abundant.

Ergo uterque magis magnificatus est quàm Salomon in Throno suo. Quod certè mirum, & valde considerandum.

### I. PUNCTUM.

Tract. 1.  
in Ioanis.  
Nevile aliquid putares, inquit S. August. quale conservisti cogitare, cum verba humana soleres audire, audi quid cogites, Deus erat Verbum. Sic planè modo, ne vile aliquid putes, cum cogitas puerum in præsepi positum, audi quid cogites, Magnificatus est Rex pacificus; Non modo magnus est iste puer, quia Deus est; sed ut simul homo atque infans in præsepi positus.

magnificatus est supra omnes Reges, & supra quam ipse Rex Salomon in throno suo. Quod enim dicebatur de Salomone super omnes alios Reges universæ terræ, hoc modo Ecclesia usurpat de Christo Domino: Atq; ab his verbis officium quod de eius Natali instituit, exorditur, ut intelligamus non sic cogitandum esse patrum & humiliatum Dominum, quin simul magnum & maximè magnificatum consideremus.

Neque id tantum de Christo intelligas, sed & de Christiano, Christi sui sectatore, in Paupertatis, Continentiæ, Humilitatis, Contemptus mundi, cæterarumque virtutum praxi. Non sic deprimatur illis virtutibus, quin simul exaltetur. Non sic invitat suos Christus ad contemptum gloriæ, divitiarum, & voluptatis, ut nullam eis gloriæ, nullas divitias, nullas voluptates concedat. Non hæc sustulit bona Christus, sed mutavit. Sustulit gloriæ vanam, & proposuit veram: fallaces commutavit divitias in solidas, & nunquam perituras; voluptatem carnis transtulit in gaudium spiritus, & in illam pacem, Quæ exuperat omnem sensum. Phil. 4.

Atque



A que in hunc finem proponitur consideranda veritas, ne præcedenti scilicet consideratione de terra mura fugiendo mundo, & sequendo Christo, quasi jam omnia nobis bona peritura essent; Non pereunt bona quæ melioribus transmutantur. Quod itaque de Christo Domino dicitur, hoc proportione quadam de Christiano asseritur, qui vitam in humilitate degit, id est, in eo statu quem præcedens exigit consideratio, contra mundanum sensum, & triplicem illam concupiscentiam, ex qua constat mundus. Sic est de utroque, ut habet veritas, Sic Christus in præsepi, & Christianus in contemptu mundi, magis magnificatus est quam ipse Salomon in Throno suo, quem

id Par. 1.

Deus ita magnificavit, ut ipsi diceret, ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec post te, fuerit similis tui.

Quidquid autem de hac magnificentia cogitari potest, ad hæc præsertim quatuor referri debet: SAPIENTIAM, POTENTIAM, DIVITIAS, DELICIAS. In quibus quantus fuerit Salomon, satis patet ex scriptura, & in præcipue quæ de se, ipse refert. Ecce, inquit, magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientias. Tum de sua potentia: Magnificavi omnia opera mea, edificavi mihi domos, possedi servos & ancillas, multamque familiam habui, ultra omnes qui fuerunt ante me. Et consequenter de divitiis, Coacervavi mihi aurum & argentum, & substantias Regum, ac provinciarum, & supergressus sum opibus, omnes qui ante me fuerunt. Ac denique de deliciis: Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non denegavi eis, nec prohibui cor meum quin voluptate fruoretur, & oblectaret se in his quæ preparaveram. At quoniam illa tandem abierunt? expende paululum.

Ecl. 1.  
& 2.

ibid.

## II. PUNCTUM.

**S**ED Christus in præsepi, & Christianus in humili suo statu, his quatuor magis abundant & longè felicior.

Primò quidem de Christo quoad sapientiam. Ecce, inquit, plusquam Salomon hic; Hic est enim in quo tant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, Difficile estimamus quæ in terra sunt, inquit Salomon, & quæ in prospectu sunt invenimus eum labore; quæ autem in caelis sunt, quis investigabit? At

Matt. 12.  
Coloss. 2.Sap. 9.  
Ioann. 1.

unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.

Salomonis sapientia in componenda lite duarum mulierum, & in ordinanda domo sua elucebat; At sapientia Jesu infantis, jam ex præsepi componit illas quatuor, quæ inter se dissidebant, ut dixerat Psaltes regius, MISERICORDIA & VERITAS, JUSTITIA & PAX. Componit & ordinat totam genus humanum, unicuique suam distribuens sortem, unicuique suam gratiæ & gloriæ gradum. O sapientia quæ ex ore altissimi prodisti, tu sola es quæ perfectè attingis à fine usque ad finem fortiter, & disponis omnia suaviter.

Ps. 84.  
S. Bern.  
Serm. 1. in  
Annun.  
E. Virg.  
Sap. 9.

Deinde quoad potentiam, quanta quanta est divina omnipotentia, tota est in infante, tota in præsepi; Nam ut luculentè S. Leo: Exinanitio illa quam reparationi impendit humana, dispensatio fuit miserationis, non privatio potestatis. Hic est infans qui è caelo evocat Angelos; qui in aère novam condidit stellam, mirâ luce fulgentem: qui ab Oriente Reges sese adoraturos excitat; qui Harodem turbat atque universam cum eo civitatem. Hic est qui Virgini foecunditatem donat, & qui Matris servat integritatem. Hic est qui duas nataras infantiè distantes in uno sic unit supposito, ut immortalis sit mortalis, æternus temporalis, immensus comprehensibilis, Deus infans, & fortis infirmus. Vis videre quàm sit iste fortis? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & sine labore facta sunt, ait S. Augustinus.

Tract. 15.  
in Ioann.

Denique quoad divitiis & delicias, hæc est singularis Apostoli gratia, Evangelizare investigabiles divitiis Christi, ex quo uno verbo licet colligere quantis partibus Salomone Christus sit ditior. Nã si vel unus gratiæ sanctificantis gradus, ipso Salomone astante, præponderat omnibus mundi bonis, quid thesaurus ille gratiarum? quid illa gratia Capitis, à qua omnes habent ut sancti sint? Delicias verò paradysi Dei, sicut Scriptura vocat, delicias visionis beatificæ, delicias illas immortales, quibus perfruuntur qui comprehensores dicuntur, qualis est infans noster, in præsepi; quis non superiores fateatur illis deliciis quas ipse Salomon non aliud esse proficitur, quam vanitatem & afflictionem animi? En igitur, ut illa quatuor quibus se ita magnificavit Salomon, in Christo magis abundant,

Ephes. 3.

Sap. 7.

Ezech. 28

Ecl. 2.

Sic



Sic planè in Christiano, Christi virtutum sectatore. Nam hic ipsa Christi sapientiâ & fortitudine fortis, ipsi ejus divitiis dives, & deliciis quidem nondum re ipsa beatus, sed spe beatitudinis ita gaudens, & contentus, ut in ipsa tribulatione super abundet gaudio. Quis quæso, beatior è duobus? An Salomon qui non nisi in deliciis tribulatur & affligitur, An ille Christi sectator qui non nisi in tribulatione delectatur & triumphat? Ex ipso, Vos estis in Christo Jesus, qui factus est nobis Sapiencia & Justitia, inquit Apostolus. Et de divitiis ibidem: In omnibus divitiis facti estis in illo. De potentia vero: Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus; Uade & S. Gregorius: Fortis super omnia apparuit infirmus inter omnia, ut dum nobis ex assumpta infirmitate congrueret, ad permanentem nos suam fortitudinem elevarer. Sic & S. Ambrosius de deliciis: Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætissimam largiretur: & vestigia nostris descendit usque ad mortis arumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam, Quod simili tenore passim aiunt omnes sancti Patres, Christum nostra suscepisse, ut sua nobis conferret, si vellemus ea recipere. O quis noller? O quam pauci tamen ea volunt!

## III. PUNCTUM.

CHRISTI igitur in præsepi, & Christianus in humili & afflictio vita sua status, magis magnificatus est, quam Salomon in Throno suo: Quia scilicet major eorum sapientia, major potentia, majores divitiæ & deliciæ, ex quibus quatuor veluti dotibus conflatur Magnificencia, Nec Salomon in omni gloria sua ma-

gnificatus est, sicut unus ex istis. Stultissimus sum virorum, inquit, & sapientia hominum non est mecum. Sic certè infimissimus, qui suis se cupiditatibus subjecerit: sic egentissimus & afflictissimus, qui conversus ad labores in quibus frustra sudaverat, nihil reperit nisi vanitatem. Bonorum autem laborum gloriosus est fructus, jam ex hac vita, quando sola esset simili udo quam fidelis Christianus habet cum Christo, non è vel illa sufficeret ad omnem gloriam & jucunditatem? Quid gloriosius servo, quam Dominum coniectari? Quid jucundius filio, quam Patrem æmulari? Hic infans Pater est futuri sæculi; Qualis modò erit vitæ similitudo, talis futura est ad omnem æternitatem. Hic nos generat & nutrit Verbo Veritatis; & hæc est veritas quæ in præsepi apparet contra mundi vanitatem. Renati non ex sermine corruptibili, inquit sanctus Petrus, sed incorruptibili per Verbum Dei viri & permanentis in æternum, quia omnis caro ut fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni; exaruit fœnum & flos ejus decidit. Verbum autem Domini manet in æternum; Hoc est autem verbum quod evangelizatum est vobis. Unde quæ paritas inter fœnum & Verbum Dei, tanta est disparitas inter vitam dissimilem & similem Christo, inter vitam mundanam & Christianam. Et hinc notabis utram eligas! Statue hoc ævum propositum: Sequar te, Domine, quocumque ieris.

Vide supra, Dominica prima Adventus, & duabus sequentibus Fetiis. Sabbato infra Dom. tertiam. Et in Indicibus, Verbo.

Christus, Amor, Charitas, Mundus, Et die 13. Januarii.



L

IN FE-



## IN FESTO S. STEPHANI. PROTOMARTYRIS.

*Stephanus plenus Gratia & Fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Act. 6.*

### VERITAS PRACTICA.

Injuriam infert Gratia maximam, qui pro ferenda injuria non certat fortiter.

**RATIO EST,** Quia idcirco quis in ferenda injuria seu in aliis quibuscumque adversis, non certat fortiter, vel quod non putet se posse vincere etiam cum gratia, vel quod nolit hunc certandi laborem suscipere.

*Sed utrumque est valde injuriosum Gratia.*

Ergo illi injuriam facis maximam, qui non sic fortiter in adversis certat, sicut sanctus Stephanus Protomartyr.

### I. PUNCTUM.

**V**idenda sunt quæ de sancto Stephano habentur in Actis Apostolorum, capite sexto & septimo. Tum notandus triplex Gratia & Fortitudinis actus, quem exercet. Primus est, loquendo magnifice de Domino Iesu, coram Judæis qui gravibus intentatis minis veterant ne ullus sermo palam de hoc nomine haberetur, quique non aliter ac blasphemias accipiebant, quidquid de Iesu diceretur. *Homo iste, inquit, non cessat loqui verba, adversus locum sanctum, & Legem.*

*Act. 6.*

Secundus est, quod cum videret perfidos illos eò vehementius sibi obsistere, quò apertius illis veritatem demonstrabat, tum acriter in eos invectur: *Durà cervicē & incircumcisīs cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.*

*Act. 7.*

Tertius denique, cum intendens in cœlum vidisset gloriam Dei, & dixisset: *Ecce video cœlos apertos & Filium hominis stantem à dextris Dei:* Tunc Judæi exclamantes, impetum fecerunt unanimiter in eum, & eicientes extra civitatem, Lapidabant. At vero ille libentissimè & generosissimè præmissus pro Christo mortem subijt, cumquē saxorum crepitantium

*Act. 7.*

turbine quateretur, *Domine Iesu, inquit, suscipe spiritum meum. Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*

Hoc est esse fidelem; hoc est plenum esse gratia & fortitudine; hoc est maximè honorare Gratiam, quando sic fortitudo quam confert, non separatur à Gratia, sed simul fideliter exercetur. E contra vero: *Injuriam facit Gratia maximam, qui sic fortiter in adversis non pugnat.*

Hæc est Veritas modo expendenda, prout declaratur; Nempe idcirco quis in adversis non pugnat, vel quod non putet se satis fortem ad illa pervincenda, vel quod nolit laborem suscipere qui necessarius esset ad certandum & vincendum. Vix est aliud quod præter illa duo cogitari possit; atque illorum etiam alterutrum necessario proferendum est, si non decertas fortiter. Dic enim quare cedis? nonne dices quia nimis te premunt adversa, nec te parem illis putas? aut si convinceris te posse cum gratia: posse quidem non negabis, sed d. stichius esse asseres quàm ut laborem illum suscipias. *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.* Sic illi negabant se posse, qui volebant pugnare pro terra promissa possidenda. Ah quoties sic certamen detrectasti? *Qui vicerit, possidebit hæc: & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Timidis autem & incredulis, pars illorum erit in stagno ardentis. *Apoc. 21.*

### II. PUNCTUM.

**S**ed utrumque illud valde est injuriosum Gratia.

Primò quidem si dicas te non posse, perinde est ac dicere non esse satis potentem gratiam, non esse satis potentem Deum, aut non satis fidelem qui promisit plusquam potest dare. Quod quis non videt esse injuriosum, & blasphem-



phenā? Cum enim Deus toties promiserit se tibi affuturum, neque timendum esse dum tibi adfuerit: Si quid dubitas, nonne de eius fidelitate aut de potentia dubitas? quasi noli: quod dixit, aut quasi non possit quod velit? *Noli metuere*, inquit Deus, & *noli timere, quoniam tecum est Dominus tuus in omnibus ad quacunque perrexeris.* Quæ licet Josue referantur dicta, tamen ad nos omnes spectare, scribit Apostolus, cum ex illis verbis sic ad fiduciam nos exhortatur, *Ipsè enim dixit, non te deseram neque derelinquam, ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.*

Est certè à n ex nobis, sine gratia, nihil possibile, jubeamur autem perpetuum inire certamen cum hostibus, qua tandem ratione, & quibus armis vinceremus, nisi gratiæ: aut nisi gratia satis esset potens ad vincendum? *In felix ego homo*, ait Apostolus, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Respondet idem: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Tu vero id negabis, & non putabis injuriam facere Gratiæ? Imo est illa contumelia de qua idem

Apostolus: *Qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & SPIRITUM GRATIÆ CONTUMELIAM FECERIT* Expavescet.

Alterum vero non est illi minus injuriosum cū scilicet possis eius auxilio vincere si decertes, nolis tamen certare ne nimis labores. Hoc est enim sibi nimis indulgere, hoc est manifestè naturam depravatam præferre gratiæ, Corpus animo, appetitum rationi, terram cælo, voluptatem æternæ beatitudini. Nam nisi quis legitime certaverit, non coronabitur. Qui non vult coronari, cælum ac Deum spernit; Qui non vult certare, non vult coronari. O probrum! O infamiam! Numquid Fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? Nulli dubium est quin peccetis in Deum; & scitote, quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.

### III. P U N C T U M,

Injuriam igitur facit Gratiæ maximam, qui fortiter in injuriis & adversis non certat; Cuiusmodi non certat, quia non putat se satis fortiter cum Gratiâ, ut possit vincere; aut ipsam Gratiam non satis dignam judicet, pro qua conservanda pugnet, & in pugnando laboret. Quod utrumque est Gratiæ valdè injuriosum. *Extendi manum meam*, inquit, & non fuit qui aspiceret. *Extendit nempe manum cum*

indicat aliquid esse faciendum, & patiendum, cum ad id exhortatur & confortat, cum nos propterea erigit & stimulat, quoties deniquè nos velut manuducit quod tendimus. Sed quàm pauci & rari sunt qui ad motum Gratiæ moveantur! *Non fuit*, inquit, *qui aspiceret*, qui attenderet ad illos gratiæ motus, ut eos sequeretur: unde sic pergit in aia sapientia seu divina gratia: *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo vos, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, contempserit.* Quasi diceret, quando in extremum agonem & horrendum illud certamen vitæ ac mortis deveneritis, tunc me meaque operâ maximè vos indigere significabitis, tunc me invocabitis, & impensè deprecabimini: sed frustra, quia sicut me pararam ad certamen pro vobis incundum deseruistis, sic vos iam certare paratos deserui. Quod certè est expavescendum, tibi præcipue qui tam mollis es in certando.

Quamobrem audiendus attentè Apostolus *Deponentes*, inquit, *omne pondus & circumstantes nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in Authorem fidei & Consummatorem Iesum.* Vide ut circumstantes nos peccatum vocet Concupiscentiam, quæ cum triplex sit, ut heri diximus, una honorum temporalium, & alia delectabilium, & alia honorum mundi; adverte diligenter nos ab illa triplici concupiscentia retardari ad certandum in adversis. Ac proinde ut obstitas contra, fortiterque decertes: Aspice in Authorem fidei & Consummatorem Iesum. Aspice illum pauperem in præsepi, contra tentationem concupiscentiæ temporalis, Aspice illum patientem in cruce, contra delectabilia. Aspice illum deniquè gloriosè regnantem in cælo, contra Mundi vanitates. Dic blandientibus bonis, aut deterritibus malis: *Video cælum apertum & Iesum stantem à dextris Dei.* Qui tibi meliora præparat, si hæc terrena despicio. Mirum quantum ille aspectus Domini Iesu in præsepi, seu in cruce, seu in Cælo valeat an certandum & vincendum contra triplieem illam concupiscentiam. *Inimici hominis domestici eius.* *Ego autem ad Dominum aspiciam*, ait Propheta. *Vidi Deum, & salus facta est anima mea. Adhuc visio in dies.*

Vide in Indicibus Verbo, Gratiæ, Fortitudo, Timiditas.



# IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

*Discipulus quem diligebat Iesus. Ioan. 21.*

## VERITAS PRACTICA.

Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.

**RATIO** qua de Rege regum Domino Jesu, Veritatem interpretatur, hac est, quod nullus Regi ut Regi, acceptior est quam qui fidelem se prabet in omnibus.

**Ad** qui diligit cordis munditiam, maxime se fidelem prabet Regi Jesu.

**Ergo** habebit eum amicum, & ab eo diligitur sicut Dilectus hic Discipulus, de quo expressè dicitur, quod specialis prerogativa Castitatis ampliori dilectione fecerat dignum, quia virgo electus ab ipso, virgo in eum permansit.

## I. PUNCTUM.

**V**ALDE HONORANDUS EST BEATUS JOANNES. Ingredere penitus in hunc pietatis Ecclesiæ sensum; & vide quàm id rectè prædicatur.

Nam vix sunt ulli honorum Tituli, quibus alii quique Sancti honorantur, qui non omnes conveniant sancto Joanni, ad ejus honorem præ aliis exaltandum. Fuit enim, ut scribit S. Hieronymus, PATRIARCHA & fundator Ecclesiarum Asiæ. Fuit insignis PROPHETA Novi Testamenti, ut pater ex ejus Apocalypsi infinita futurorum mysteria continente, ut ait idem S. Hieronymus, Fuit APOSTOLLUS inter alios celeberrimus, & ex tribus unus quos Columnas vocat S. Paulus, Fuit EVANGELISTARUM Aquila, *Sublimis nempè prædicator, & lucis interna, atque æterna fixis oculis Contemplator*, ut scribit S. Augustinus. Fuit MARTYR designatus à Domino, cujus calicem esset bibiturus, unde S. Hieronymus: *Si legamus, inquit, Ecclesiasticas historias, in quibus fertur quod & ipse propter mar-*

*tyrium sic missus in ferventis olei dolium, & inde ad suscipiendam coronam, Christi Athleta processerit, statimquè relegatus in Pothmos insulam sit, videbimus martyrio animo non defuisse, & bibisse Joannem, calicem confessionis quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem. Fuit denique DOCTOR, EPISCOPUS, CONFESSOR & VIRGO. Ac proinde si alii ex horum aliquo coluntur & honorantur titulo, certè hic valdè honorandus qui unus omnes omnium titulos in se complectitur.*

Præterea vero supra quàm alii, singulares quatuor & eximias obtinuit à Domino gratias. Prima est quod omnium Junior ad Apostolorum, & omnium senior è vita discessit, obiit enim tantum Anno Christi centesimo primo, ut est apud Baronium ex Eusebio. Unde maximum meritum cumulum sibi comparavit. Secunda, quod in sinu Christi Domini recubuerit, & fluentia Evangelii de ipso Sacro Dominici pectoris fonte potaverit. Tertia, quod in Filium Beatissimæ Virginis Matris coaptatus sit, illique Christus Dominus de cruce Virginem Matrem, Virgini commendavit.

Quarta est quam cæteris omnibus præfert, quamque omni aliis maxime prædicat quod *Discipulus ille esset quem diligebat Iesus.* Hac se una nota insignitum vult internosci, hoc se uno signare nomine, hac una commendatione celebrari. Nec certè fallitur, quid enim amplius quàm sic diligere à domino Jesu? Expende attentius, Congaude Sancto; Atque ut in aliquam hujus divinæ amicitie participationem venias, propositam Veritatem revolve, Cujus Ratio quoad primam partem ita est facilis ut non sit longius immorandum in ea declaranda vel ponderanda.

Quid enim clarius, quàm ex omnibus Regis aut regni Administris cum esse præcipue carum

*Lib. de  
Scrip.  
Eccl.  
Lib. 1.  
com. tom.*

*Gal. 2.  
Tract. 35.  
in Joan.*

*Matt. 20.  
l. 1. in Ioan.*



earum & acceptum Regi, qui fidelis sit in omnibus & qui quod fidelior est, eò sit acceptior: Unde Sapiens, *Virum fidelem quis inveniet, quasi diceret, illi sunt maximè qui quaeruntur, & illi sunt qui rarius inveniuntur.* Atque ita paulò post Idem; *Vir fidelis multum laudabitur.* Et certè apud Regem Jesum hic potissimum servus probatur, *Quis putas est fidelis servus? Euge serve bone & fidelis. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est.* Hic jam quaritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.* O verè debitum fidelitati præmium! ò verè debitam tali præmio fidelitatem!

## II. PUNCTUM.

**S**ED qui diligit cordis munditiam, is maximè se fidelem exhibet Regi Christo.

Nam cum fidelitas his tribus potissimum indicibus innotescat: Primò, ut universim in omnibus observetur: Secundo, ut exactè in singulis; Tertio, ut crebro & frequenter ad omnes occasiones exerceatur: profectò hæc tria maximè repetuntur in eo qui diligit cordis munditiam. Primò enim universim in omnibus quæ cor inficere possint ex quorumque vitio planè viri fidelis est, ut se iis purget aut non diligeret cordis munditiam. Deindè, non tantum pravos affectus, vel cogitationes quas vocant morosas prohibet, sed vel transitorias illas species quæ animo reluctanti obversantur, ut ne vel minimà labeculâ velit se inficere, sitque ejus anima verè *illa sponsa, qua quantum humana infirmitas patitur, non habet maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Nullum planè commercium habeat nullumve cum alienis verbum quod suspicionem moveat, nullam profus creaturæ dilectionem admittat quæ non sit purè in ordine Charitatis, propter ipsum Christum, ut illud etiam Apostoli profectò impleatur, *Despondi vos uni viro, Virginitatem castam exhibere Christo.*

Denique, quam crebro & frequenter in iis se exerceat qui diligit cordis munditiam, ex eo

fatis patet quod toties id ipsum reperit & frequenter, quoties aliqua incurrit species, quæ cor ipsius possit inquinare. At quis non sentit quàm sint illæ frequentes & quàm importunæ species? ac propterea quanta & quàm manifesta sit fidelitas in ipsis repellendis? Unde aptè Apostolus; *Si quis ergo emundaverit se ab iis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum;* Quod est uno verbo esse, fidelem. Itane tu? *Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva sis; usquequò morabimur in te cogitationes noxiæ?*

## III. PUNCTUM.

**Q**UI ergo diligit cordis munditiam, habebit amicum illum Regem qui habet in vestimento, & in semore suo scriptum, *REX REGVM & DOMINVS dominantium,* ut scribit dilectus Discipulus, quia videlicet ut Idem ibidem ait, cum illo Rege Regum, *Sunt vocati electi, & fideles.* Fidelis est autem vel maximè qui diligit cordis munditiam, ut qui ad unam vel levissimam suggestionem, constanter in singulas horas dicat quod semel fidelis ille Joseph ad ipsum crimen repellendum: *Ecce Dominus meus, &c.* Quomodo ergo possum hæc malum facere, & peccare in Deum meum? Nonne hic fidelis fuit? Nonne in diligenda cordis & corporis munditia, fidelitatem suam ostendit? Nonne si cognitus fuisset Domino suo, magis illi carus fuisset & pretiosus? Sic ergò planè est de quovis diligente munditiam Neque ultra labores in confirmanda Veritate satis nota, sed laborem omnem convertit ad excitandam in te, cum divina gratia, talem puritatis dilectionem quæ tibi faciat amicum Christum. Quanti hanc æstimes amicitiam, patebit ex dilectione puritatis: & quanta sit hæc dilectio, patebit ex vigilantia quam adhibebis, ad primas quasque vanitatis & voluptatis species exflandandas. *Species decepit te. Ab omni specie mala abstinere vos.*

Vide in Indicibus Verbo *Castitas, Mortificatio, Puritas.*

Prov. 20.

Ibid. 28.

Matt. 24.

&amp; 25.

Luc. 16.

1. Cor. 4.

Apo. 2.

2. Tim. 2.

Jerem. 4.

Apo. 19.

Ibid. 17.

Gen. 39.

Dan. 13.

1. Thess. 5.

Ephes. 5.

2. Cor. 11.



## IN FESTO SS. INNOCENTIIUM.

*Herodes videns quòd illusus esset à Magis, iratus est valde; & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatū & infra. Matth. 2.*

### VERITAS PRACTICA.

Inimici nostri magis prodesse possunt odio, quàm profuissent obsequio,

**RATIO EST,** Quia utilitas quæ spectat vitam spiritualem & æternam, longè major est, quàm qua temporalem.

Sed inimici nostri nobis prodesse possunt odio suo, ad vitam spiritualem & æternam, cùm solùm ad temporalem nobis prodesse obsequio, Ergo & magis prodesse possent odio, quàm obsequio; Dum bene scilicet utamur eorum odio; atque ad hunc bonum usum, valere multum potest ista consideratio.

### I. PUNCTUM.

**C**rudelis Herodes novum Regem, venire quid times?  
Non eripit mortalia,  
Qui regna dat celestia.

*3. Fulg. serm. 5 de Epiph.*  
Rex iste qui natus est, non venit Reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare. Venit non ut pugnet virus, sed ut triumphet occisus. Quid est ergo quod ita turbatur & furit Herodes? Depravata scilicet regnandi cupiditas, metus inordinatus, vana & inanis suspicio, similesque motus turbulentis, quos excitare solet ambitio, seu prava quævis affectio, Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor! Nonne sic tibi sæpè accidit? nonne sic frustra sæpè commoveris, & sine causa

concitaris? Rectè Sapiens: Multos supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. Agnosce hinc templum. *Eccl. 3.*

INTEREA verò perigunt impii satellites Regis, crudele in infantes edictum promulgant, non tam verbo quàm facto; Unus tantum quaeritur, & in illo omnes mactantur, sicut ille in omnibus occiditur, Quale spectaculum! Quale impietatis carnificum, cum pietate matrum certamen! Quid peccarant parvuli sic mactati? Sed quàm benè cum illis actum est! Quàm verè sanctus Augustinus. Ecce, inquit, profanus hostis nunquam hostis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Quid enim illis contulisset? Quid tandem illud est si compareretur ad vitam illam beatam qua modò in cœlis perfruuntur? Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt; hi sequuntur Agnùm quocumque ierit; Hi empti sunt ab hominibus, primitia Deo & Agno; & in ore eorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei. Congaude illis, piùm deprore affectum. Salve flores Martyrum, &c. *Serm. 10. de SS. Apoc. 14.*

Sic potro nobiscum agitur, nunquam foelicius quàm cum miserius creditur; nunquam utilius quàm cum perniciosius. Verè enim & de inimicis nostris dicere possumus, quod de Herode S. August. circa Innocentes: Magis prodesse possunt odio, quàm profuissent obsequio. Expende accuratè, ac primo illud quod præmittitur de majori utilitate spiritali & æterna, quàm temporali & caduca; quis dubitare potest,



potest, nisi de fide dubius aut de salute desperatus? *Quid enim prodest homini si mundum uniuersum lucretur, anima uero sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Toto non potes orbe animam emere,* inquit S. Chyloftomus; Quid tibi totus igitur orbis, si perdis animam? Hæc est uera & solida meditando materia. Non multa hic, sed multum meditare prodest.

II. PUNCTUM.

**S**ED inimici nostri nobis prodesse possunt odio suo, ad uitam spiritualem & æternam, cum solum ad temporalem nobis prodesse obsequio.

Si enim patienter toleremus iniurias, præbra, & quidquid odio sunt inimici congerent ad exercitationem humilitatis, & patientiæ, nonne inde profectus spiritualis, & æternæ beatitudinis cumulandæ seges amplissima? *Hæc est enim gratia,* inquit S. Petrus, *si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quæ enim gloria si peccantes & colaphizati sustuleris? sed si benedfacientes patienter sustineris, hæc est gratia apud Deum.* Et infra: *Et quis est qui uobis noceat si boni emulatores fueritis? sed & si quid patimini propter iustitiam beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini*

Si non haberemus qui aduersum nos obfisterent, ait Origenes, *Agones non essent, nec uictoriis muneraponeretur, nec regnum celorum uincenibus pareretur, neque momentaneum hoc & leu: tribulationis nostræ, supra modum, pondus gloria operaretur nobis in futuro.* Sic ipse & alii Patres sublimè narrant, quantum profuerit unicuique Sanctorum, habuisse aduersarium & inimicum per quem factus est sanctus. Sic innocens Abel à Caino primus Mar. yreffectus. Sic & Jacob & Esau dicitur: *Quod hic maior seruiet illi minori.* *Hic mali seruiunt bonis* inquit S. Augustinus, *non utique obsequendo sed persequendo, quomodo persecutores Martyribus, & lima uel mallei auro: quomodo mola seruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia; sic mali seruiunt bonis, quomodo in fornace aurificis palea seruit auro, ubi palea consumitur, & aurum probatur.* Sic dicitur de Israelitis quod quanto magis opprimebant eos Aegyptii, tanto magis multiplicabantur & crescebant.

Sic Josephum inimici fratres extulerunt; Sic Davidem Saul: Judæi Christum Dominum: atque uno uerbo, quotquot sanctiores & beatiores uenerunt, non nisi ex inimicorum iniquitate, sanctitatem collegerunt, & beatitudinem sibi compararunt. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Ecce beatificamus illos qui sustinuerunt.* Quasi diceret ille S. Apostolus, cur non ita nos existimamus beatos, si quid ab inimicis patimur, cum illos propterea ueneremur ut sanctos & beatos, qui talia passi sunt?

III. PUNCTUM.

**I**NIMICI ergo nostri magis prodesse possunt odio, quam profuissent obsequio; Cur per odium illud suum ad salutem & perfectionem nostram prodesse nobis possent; quæ est utilitas longè major, quàm quæ humanis obsequiis detinetur. *Aufer rubiginem de argento,* inquit Sapiens, *& egredietur uas purissimum;* Hanc à nobis rubiginem auferunt inimici, dum nos exacuunt, aut potius dum eos patienter sustinemus. *Nam qui impatientis est,* ut idem ait Sapiens, *sustinobis damnum,* id est patietur sine merito, sine fructu, sine ullo emolumento, imò & cum detrimento & iactura; Nam ad illa damna quæ ab inimicis patitur, adiecit impatientia peccatum, & peccati pœnas consequentes acerbit. Quod apud Prophetam ille expressit qui dixit, *Ephraim factus est subdolicus panis qui non reuertatur;* Hic enim panis ex utraque parte est maleficus; ex inferiori quidem, quæ est ambulatus; ex superiori uero quæ non solide coctus. Sic impatienti duplicatur damnum, quia malum malè recipit, & priuatur bono quod inde haurire poterat. *Eli hominis, uersa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti as. & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: scoria argentifacti sunt.* Egregius sane Prophetæ locus, tum hinc mandæ ueritati propositæ, tum discutiendæ conscientia, num tibi hæc uerba competant: num proficias ex aduersis, uel deficias; num quod datur ad lucrum, accipias ad detrimentum; *Ubi qui perdidit sustinet tam.* Erigere contra, *Uque in tempus sustinebit patiens, & postea redditis iucundis.*

Lnc. 1.

Iac. 5.

Prov. 25.

Ibid. 19.

Osee 7.

Ezech. 22.

Ecclesi. 2.

Ibid. 1.

Si